

12342. V. F. 2. 2.

PANIS CŒLI,

SEU

BREVES

INSTRUCTIONES

PIE VIVENDI

AC

SANCTE MORIENDI,

K. K. LYCEAL BIBLIOTHEK ZU LAIBACH

AUTHORE

R. P. NICOLAO ELFFEN

E SOCIETATE JESU,

IN STRNEAM OBLATÆ

D. D.

SODALIBUS CONGREGATIS

SUB TITULO

B. V. MARIÆ

IN COELOS ASSUMPTÆ,

IN

Archi-Ducali Soc. JESU Collegio

Labacensi.

Anno MDCCLXIV.

LABACI,

Typis Joannis Georgii Heptner, Incl. Provinc. Carniol. Typographi.



030033260

CELSISSIMO,
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO
LEOPOLDO JOSEPHO
DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratia
Exemptæ Cathedralis Eccleſiæ
Labacenſis
EPISCOPO
SAC. ROM. IMP.
PRINCIPI
E COMITIBUS
DE PETTAZZIIS,
Sancti Servuli, & Arcis-Novæ Comiti, Lib. Bar. in Schwarcenech, Abbati in Zeplach, Sac. Cæſ. Reg. Apoſt. Majeſtatis Intimo Actuali Conſiliario
SODALITATIS MAJORIS
B. V. MARIÆ
IN COELOS ASSUMPTÆ
RECTORI DIGNISSIMO,
AC
PROTECTORI.

CELSISSIME PRINCEPS!

Nullum deliberandi locum, cuinam potiſſimum libellum hunc conſecraremus, Tua vel Dignitas, vel Virtus nobis reliquit; prior Tu cæteris, atque ob utramque potior occurrebas Celsissime Princeps. Deterrebat quidem à ſententia Epiſcopi ſumma Dignitas,

&

& Authoritas, at jure quodam illam ſibi vendicabat cum Avito Sanguine, & ex TE ipſo etiam prognata virtus tanta, ac tam rara ſive Juſtitiæ conjuncta Prudentia, ſive Fortitudini Temperantia, ut, quæ ab his velut Cardinibus pendent virtutes reliquæ TUÆ, aut quæ Epiſcopum Numini Charum, temporibus neceſſarium, univerſæ Eccleſiæ perutilem, Populoque credito faciant amabilem, cunctos etiam, atque cumprimis eos, quos Cœleſtis Doctrinæ Pane, & Inſtructione paſcis, quorum commodis Cura, ac Vigilantia Paſtorali ſemper es intentus, quibus denique Exempla TUA in omni virtutum genere luculenta, & ſplendida viam breviſſimam ad Pie vivendum, & Sancte moriendum commonſtrant, TIBI reddant obſtrictos, atque

que obnoxios. Hæc itaque poſtulare, atque adeo flagitare videbantur, ut præſens opuſculum denuo procuſum, TUOQUE Celſiſſimo Nomine inſignitum illis potiſſimum diſtribueretur, qui inter egregia TUA ornamenta omnem etiam Authoris materiam, & apparatum ſanctiſſimæ vitæ TUÆ tenore ſive dudum in claram lucem editum, ſive tota, qua late patet, Æmonenſium, ac Tergeſtinorum vicinia, quæ Inſulas TUAS, quas apud hos geſſiſti, & apud illos pari cum Dignitate nunc geris, grata veneratur, auctum, conſummatumque conſpexere. Eſt & aliud, quod has paginas TUAS eſſe jubet: nam concilianda eſt illis æſtimatio, legendi aviditas, ſpes maxima fructus inde decerpendi: iſta omnino accedent lucra, cum â TE benigne

acce-

acceptas, & â tam Pio, Sapientique PRINCIPE probatas conſtiterit. Ne tamen beneficii â TE accepti memoriam, & privatum animi noſtri gaudium celemus, cujus jam tunc ſenſum excitaſti, quando delatos faſces Marianos inuſitata Clementia, atque humanitate Rector ſuſcepiſti, publicum ejus quantulumcunque teſtimonium exhibere, & parvo licet, ac exili munuſculo præfixum omnibns oſtentare auſi ſumus: ut vero hoc apud TE plurimum valeat, illos, qui lateribus TUIS in Cœtu Mariano adlecti ſunt Aſſiſtentes, & quos â Vicaria Poteſtate, & â Sacris Conſiliis, & â Prælaturæ Amplitudine Zelus, & Dexteritas, Doctrinæ fama, vitæque Sanctimonia præſtat conſpicuos, humaniſſime expetitos grati animi noſtri interpretes, ac

Se-

Sequeſtros cooptamus. Accipe itaque benigno, hilarique vultu, quod in minimis donis maximos Reges feciſſe non ignoras, perpetuæ noſtræ erga TUUM Nomen obſervantiæ teſſeram, quam TUÆ Celſitudini

D. D. D.

Devotiſſimi
Mariani Labacenſium Cœtus
Majoris Sodales.

INDEX.

CAPUT I.

Quid homo Christianus debeat nosse & credere. - - Pag. 1
INSTRUCTIO I. *Quid credendum sit de Deo?* - - - - *ibid.*
INSTRUCT. II. *Quid sentiendum & credendum sit de Christo?* - 8
INSTRUCT. III. *Doctrina de Sacramentis.* - - - - 11
INSTRUCT. IV. *De quatuor hominis novissimis.* - - - 24
INSTRUCT. V. *Quæstiones fidei inter Catholicos, & Acatholicos controversæ.* 29
SECTIO I. *De Ecclesia.* - - ibid.
SECT. II. *De Judice Controversiarum.* 41
SECT. III. *De Capite Ecclesiæ, sive Summo Pontifice.* - - - 56
SECT. IV. *De Scriptura sacra.* - 63

SECT. V. *De Sacramentis in genere.* Pag. 68
SECT. VI. *De Baptismo & Confirmatione.* 70
SECT. VII. *De Eucharistia.* - - 71
SECT. VIII. *De Sacramento Pœnitentiæ.* 94
SECT. IX. *De tribus reliquis Sacramentis.* - - - 103
SECT. X. *De libero arbitrio, peccato, & justitia.* - - - 107
SECT. XI. *An detur Purgatorium?* 111
SECT. XII. *De cultu Imaginum, & Reliquiarum.* - - - 117
SECT. XIII. *De cultu & invocatione Sanctorum.* - - - 119
Professio fidei Catholicæ. - 131

CAPUT II.

Quid homo Christianus debeat fugere. - - - - 135
INSTRUCT. I. *Quid, & quotuplex sit peccatum?* - - - ibid.
INSTRUCT. II. *Proponuntur motiva fugiendi peccatum mortale.* - 137
INSTRUCT. III. *Quæ peccata Christiano adolescenti potissimum vitanda sint?* 142

IN-

INSTRUCT. IV. *De remediis vitandi peccatum mortale, præsertim libidinem.* - - - Pag. 151
INSTRUCT. V. *Quid te facere oporteat, dum reipsa tentatio impura oppugnat?* 154
INSTRUCT. VI. *Quid faciendum illi, qui in grave aliquod peccatum, aut in plura prolapsus est?* - - 157

CAPUT III.

Quid Christianus facere debeat quotidie. - - - - 161
INSTRUCT. I. *Quæ requirantur, ut quodvis opus sancte peragatur?* ibid.
INSTRUCT. II. *Qua ratione surgendum a lecto, & persolvendæ preces matutinæ?* - - - 165
INSTRUCT. III. *De operibus certis sæpius per diem peragendis.* - 172
INSTRUCT. IV. *Quæ sit praxis recitandi Rosarii?* - - 173
INSTRUCT. V. *Traditur modus pie & decenter prandendi & cœnandi.* 177
INSTRUCT. VI. *De lectione libri spiritualis.* - - - 180

INSTRUCT. VII. *De quotidiano & generali conſcientiæ examine.* - Pag. 182
INSTRUCT. VIII. *Preces Veſpertinæ, & quies nocturna.* - - - 186

CAPUT IV.

Quid Chriſtianus facere debeat diebus feſtis. - - - - 190
INSTRUCT. I. *De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.* - - - ibid.
INSTRUCT. II. *De Concione, & Catecheſi feſtiva.* - - - 200
INSTRUCT. III. *De Confeſſione Sacramentali.* - - - 203
INSTRUCT. IV. *Qua devotione percipi debeat Sacramentum Euchariſtiæ?* 220
Præparatio Sacerdotis ad Miſſam. 257
Receſſus Altaris. - - 265

CAPUT V.

De Meditatione, & Particulari Examine. - - - 268
INSTRUCT. I. *De Meditatione, ſeu Oratione mentali.* - - - ibid.

Me-

Meditationes ſeptem de Chriſto patiente pro ſeptem hebdomadæ diebus. Pag. 288
INSTRUCT. II. *De Examine particulari.* - - - 311

CAPUT VI.

De perfecta Cordis Puritate. 328
INSTRUCT. I. *Potius moriendum, quam ut mortaliter pecces.* - 330
INSTRUCT. II. *Cor purum fugiat peccata venialia.* - - - ibid.
INSTRUCT. III. *De perfecto paſſionum dominio.* - - - 338
INSTRUCT. IV. *De moderatione ſenſuum externorum.* - - 342
INSTRUCT. V. *De externa Chriſtiani compoſitione.* - - - 348
INSTRUCT. VI. *De abolenda obligatione pœnarum in Purgatorio ſuſtinendarum.* - - - - 350

CAPUT VII.

De exercitio ſolidarum virtutum. 353
INSTRUCT. I. *Quæ ſit indoles humilitatis perfectæ?* - - ibid.

IN-

INSTRUCT. II. *De manſuetudine, & tolenrantia adverſitatum.* - Pag. 362
INSTRUCT. III. *De amore ſolitudinis, & ſilentii.* - - - 369
INSTRUCT. IV. *De obedientia Patri Spirituali exhibenda.* - - 372
INSTRUCT. V. *Modus enitendi ad Angelicam puritatem.* - - 381
INSTRUCT. VI. *Actiones Paupertatis Chriſtianæ, ac Religioſæ.* - 383
INSTRUCT. VII. *De perfecta Charitate Proximi.* - - 386
INSTRUCT. VIII. *De cultu & veneratione Sanctorum, & feſtorum illis conſecratorum.* - - - 390
INSTRUCT. IX. *De Cultu & Amore Virginis Deiparæ.* - - 400
INSTRUCT. X.. *De Fide, Spe, & Charitate in Deum.* - - 407

CAPUT VIII.

Pii Affectus cupientis ſancte mori. 417



CAPUT I.

Quid Homo Chriſtianus debeat noſſe & credere.

INSTRUCTIO I.

Quid credendum ſit de DEO?

§. 1. *Expediuntur Quæſtiones præcipuæ de DEO, quæ ante omnes alias ſunt Parvulis inſtillandæ.*

ESTne unus tantum Deus, an ſunt plures Dii? ℟. Non ſunt plures Dii, ſed unus tantum Deus.

Quot ſunt Perſonæ in Deo? ℟. Tres: nec plures nec pauciores.

Quomodo appellantur hæ tres Perſonæ? ℟. Prima vocatur Deus Pater, ſecunda Deus Filius, tertia Deus Spiritus ſanctus.

Hæ tres Perſonæ ſuntne unus an plures Dii? ℟. Tres quidem ſunt Perſonæ, ſed unus Deus.

Quænam ex Divinis Perſonis eſt ſenior, melior, ſapientior, potentior? ℟. Sunt omnes ttes æque ſenes, bonæ, ſapientes, potentes.

Pater a quo eſt? ℟. A nemine, ſed a ſe-ipſo.

A quo autem eſt Filius? ℟. A ſolo Patre, ſine matre, & quidem genitus ab æterno.

A quo demum eſt Spiritus ſanctus? ℟. A Patre & Filio, non tamen genitus ſed procedens, utrique conſubſtantialis & coæternus.

Ex his tribus Perſonis quænam aſſumpſit naturam humanam? ℟. Secunda: nempe Deus Filius.

Quare Filius Dei factus eſt homo? ℟. Ut nos homines redimeret.

Unde redemit nos? ℟. Ex captivitate diaboli.

Quo pacto redemit? ℟. Paſſione ſua & morte, quam ſuſtinuit per crucem in monte Calvariæ.

Quando Dei filius incarnatus eſt, quæ fuit mater ejus? ℟. Beatiſſima Virgo Maria.

Quis Pater? ℟. Secundum humanitatem natus eſt ex Matre ſine Patre, uti ſecundum divinitatem ex Patre ſine Matre.

Quot ergo ſunt naturæ in Chriſto? ℟. Duæ: eſt enim homo ſimul & Deus.

Dic mihi quid eſt Deus? ℟. Deus eſt Creator cœli & terræ, qui ipſe a nullo eſt, & ab

ipſo

ipſo ſunt omnia : omnia poteſt , & omnia ſcit ; eſt omni amore , & honore dignus ; eſt æquiſſimus Remunerator bonorum , & Vindex malorum.

Qua mercede remunerat bonos? R. Æternis cœli gaudiis.

Quomodo punit impios ? R. Æternis pœnis inferni.

§. 2. *Perfectiones Divinæ pro rudium captu declarantur.*

Eſtne Deus pulcher ? R. Eſt omnium rerum pulcherrimus.

Eſtne pulchrior floribus, ſtellis , hominibus ? R. Flores etiam elegantiſſimi comparatione Dei vileſcunt : ſtellæ , ſol & luna præ Deo ſunt tenebræ , & homines ſpecioſiſſimi præ Deo ſunt plane deformes.

Nullus igitur homo tam pulcher eſt quam Deus? R. Nullus: Imo ſi omnium hominum & angelorum pulchritudo in unam creaturam coaleſceret , hæc tamen reſpectu Dei adhuc foret turpis.

Quid ergo cenſes de illis , qui plus hominem amant , quam Deum ? R. Cenſeo eſſe ſtultos , qui lutum præ auro , & vitrum præ margarito , & tenebras amant præ luce.

An Deus etiam eſt potens ? R. Non tantum potens , ſed omnipotens.

Quid igitur poteſt Deus facere? R. Omnia.

Poteſtne etiam peccare? R. Id non poteſt. Quia poſſe peccare non eſt potentia, ſed impotentia, & imperfectio, quæ non cadit in Deum.

Si Deus eſt tam potens, quid igitur fecit? R. Cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt.

Unde ſecit iſta? R. Omnia condidit ex nihilo.

Quomodo fecit iſta? R. Dixit, & facta ſunt: ſola voluntate & unico verbo fecit omnia.

Poſſetne Deus, quæ fecit, etiam deſtruere? R. Poſſet, ſi vellet: unde non debes peccare, nam eodem momento, quo peccas, poſſet te Deus ad inferos detrudere, vel in nihilum redigere.

Quanta eſt ſapientia Dei? R. Infinita. Omnis hominum ſapientia eſt guttula, quæ ex immenſo illo oceano fluxit.

Quid ergo ſcit Deus? R. Ipſe ſolus ſeipſum novit perfecte, & in ſe ipſo omnia alia.

Quid dicis, novit Deus omnia? R. Dico noſſe Deum omnia, quæ facta ſunt a mundi principio, quæ modo fiunt, & quæ futura ſunt in omnem æternitatem.

Ergo nihil abſconditum ab oculis Dei? R. Nihil penitus, ipſas hominum cogitationes videt, eſt enim ſcrutans corda & renes Deus.

Sed ubi habitat Deus? R. Ubique. In cœlis, in aëre, in aquis, in terra & ſubtus terram.

Etiam in homine? R. Etiam in intimo receſſu cordis tui.

Cur igitur non video Deum, ſi Deus ubique præſens eſt? R. Quia Deus Spiritus eſt, uti & anima tua, quam licet non videas, certum tamen eſt eſſe in corpore.

An ſemper adeſt mihi Deus, etiam dum ſolus ſum & in tenebris? R. Etiam tunc adeſt tibi, & videt, quæ facis.

Præſtat igitur nunquam peccare? R. Id ſane præſtat, eſtque impudentiſſima inſania peccare in præſentia & conſpectu ſupremi illius Principis.

An Deus etiam juſtus eſt? R. Tam juſtus, ut nec verbum otioſum ſine pœna, nec potum aquæ frigidæ datum pauperi, ſine præmio ſit relicturus.

An etiam bonus eſt & amabilis? R. Infinite bonus eſt ſuper omne bonum, & amabilis ſuper omne id, quod amari poteſt.

An ſuavior eſt melle & ſaccharo? R. Infinities ſuavior.

An præſtantior eſt auro & gemmis? R. Infinities præſtantior.

An dulcior eſt omni voluntate terrena. R. Omnis terrena voluptas fel eſt præ Deo.

An excellentior omni terrena gloria ? R. Infinities excellentior.

An melior omni creatura ? R. Infinities melior.

Quam igitur bonus eſt Deus? R. Nec dicere nec cogitare id queo, ſed exclamo cum Davide: *Quam bonus Deus Iſraël his, qui recto ſunt corde.* Pſalm. 72. v. 1.

Dic tandem compendio, quid ſit Deus ? R. Deus eſt natura præſtantiſſima, quæ a ſe habet, quidquid habet boni, infinite pulchra, ſapiens, potens, immenſa, æterna, juſta & bona, paucis, quæ in ſe & a ſe eſt omne bonum.

§. 3. *Specialiter iterum proponitur, an Deus ſit timendus & amandus.*

DEbemusne timere Deum ? R. Omnino debemus; & timor Domini tanquam initium ſapientiæ, ante omnia pueris inſtillari debet.

Cur debemus timere Deum? R. Quia eſt Deus ac Dominus noſter, & quia ubique præſens obſervat verba cogitationes & opera, & quia peccantium corpora animasque perdere poteſt in gehennam.

Eſtne etiam Deus diligendus ? R. Imo diligendus eſt, & amore quidem ſummo ac præcipuo.

In quo conſiſtit amor ille ſummus ? R. In hoc: ut diligas Deum, quantum tibi poſſibile eſt.

Explica paulo melius, quid ſit diligere Deum, quantum poſſibile eſt ? R. Sic diliges, ſi Deum diligas plus, quam patrem & matrem, plus, quam teipſum & vitam tuam, ſi Deum diligas ex toto corde tuo, ſi paratus ſis totum mundum potius amittere, quam Deum.

Quæ cauſa eſt, cur Deus tantopere diligi debeat? R. Quia eſt Creator, Redemptor, & ſummus Benefactor tuus.

An ideo tantum ? R. Non : ſed ideo vel maxime, quia Deus tibi & ſibi ipſi eſt infinite bonus & amabilis.

Quem maxime debemus diligere poſt Deum ? R. Beatiſſimam Virginem Mariam, nam & hæc eſt amantiſſima Mater noſtra & ſumma Benefactrix, & poſt Deum pulcherrima & optima.

Sed poſt Beatam Virginem quinam imprimis diligendi ? R. Angelus cuſtos, Sancti Dei, & poſt illos, Parentes, & Benefactores noſtri in terris.

INSTRUCTIO II.

Quid ſentiendum & credendum ſit de Chriſto?

QUis fuit Redemptor generis humani? ℟. Chriſtus JESUS filius Dei, & hominis. Deus enim propter nos homines, homo factus eſt.

De quo, ex qua, ubi, & quando conceptus eſt Chriſtus? ℟. Conceptus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria ſemper Virgine, in domo ejus Nazareth, menſe Martio.

Cur Mariam appellas ſemper Virginem? ℟. Quia licet fuerit deſponſata Joſeph, perpetuo tamen manſit Virgo ante, in, & poſt partum.

Sed ubi & quando Chriſtus natus eſt? ℟. Natus eſt Bethlemi in ſtabulo, menſe Decembri.

Ubi fuit educatus? ℟. Partim in Ægypto inter idololatras, partim Nazarethi in domo materna, usque ad trigeſimum ætatis ſuæ annum.

Quid interea temporis fecit? ℟. Omnia quæ juſſere parentes: nam recte Evangelium: *Et erat ſubditus illis.* Luc. 2. v. 51.

Triginta jam annos natus, quid tum porro egit? ℟. Tanquam verus Meſſias tribus annis prædicavit Evangelium, multa & mag-

na

na fecit miracula, demum paſſus eſt ſub Pontio Pilato, mortuus & ſepultus.

Ubi & quid paſſus eſt? ℟. Hieroſolymæ, & opprobria quidem ac tormenta diriſſima.

Quid paſſus eſt in horto Gethſemani? ℟. Pro nobis ſudavit ſanguinem & tanquam latro comprehenſus eſt a Judæis.

Quid in domo Caiphæ? ℟. Accepit alapam ab impudente miniſtro, tanquam blaſphemus conſputus, irriſus, & deinde mortis reus judicatus eſt.

Quid in domo Herodis? ℟. Tanquam ſtultus, illuſus eſt in veſte alba.

Quid in domo Pilati? ℟. Tanquam malefactor flagellatus eſt toto corpore, coronatus ſpinis in capite, & tandem ad mortem crucis damnatus.

Quid demum in monte Calvariæ? ℟. Tanquam latronum primus inter latrones medius, mortem atrociſſimam & probroſiſſimam ſuſtinuit.

Qua die & qua hora mortuus eſt? ℟. Die Veneris ſancto, circa tertiam pomeridianam.

Ecquæ fuit moriendi cauſa? ℟. Ut homines peccato mortuos ad vitam ſuſcitaret æternam.

An ergo eramus mortui? ℟. Imo eramus; perempti videlicet ab Adamo primo humani genetis parente ſimul ac peremptore.

Quo pacto nos omnes Adamus peremit? ℟. Præceperat illi Deus, ne fructum certæ arboris gustaret, alioqui & ipse & posteri ejus essent morituri. Sed quia prævaricatus est Adam, hinc omnes in Adam morimur vivificamur autem in Christo.

Jam vero anima Christi, Christo mortuo quo abiit? ℟. Descendit ad inferos, hoc est, ad limbum, & inde eduxit sanctos veteris testamenti.

Sed Christus an adhuc est mortuus? ℟. Absit, nam tertia die resurrexit a mortuis, & jam vivit & regnat in cœlis.

Ubi & quando in cœlum ascendit? ℟. In monte Oliveti, circa meridiem, quadragesimo post resurrectionem die.

Quid isthic modo agit? ℟. Sedet ad dexteram Patris, & cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus in sæcula sæculorum.

Estne etiam mater Christi in cœlis? ℟. Quid dubitas? Sedet ad dexteram Filii, uti Filius ad dexteram Patris, omni cultu & amore dignissima.

Sed Christus an tantum in cœlis est modo an etiam alibi? ℟. Visibiliter est in cœlis, sed invisibiliter, vere tamen ac realiter in omni loco, ubi asservatur Sacramentum Eucharistiæ.

An semper in cœlis manebit? ℟. In fine mundi iterum descendet, & judicabit vivos,

&

& mortuos; judicio autem peracto cum Sanctis ſuis æternum in cœlis regnabit.

Quid ex modo dictis diſcam & concludam? ℟. In Jeſum crede, Jeſum time, Jeſum ama, Jeſum ſequere, & Mariam Jeſu matrem cole, & invoca, tum Jeſum aliquando benignum experieris Judicem.

INSTRUCTIO III.

Exponitur doctrina de Sacramentis a Chriſto inſtitutis & Eccleſiæ ſuæ communicatis.

§. 1. *De Sacramentis in genere.*

QUid eſt Sacramentum novæ legis, ſive Eccleſiæ a Chriſto fundatæ? ℟. Eſt ſignum aliquod externum, a Chriſto inſtitutum, quod in anima hominis gratiam & Sanctitatem operatur.

Quot ſunt Sacramenta Eccleſiæ Chriſtianæ? ℟. Septem; primum Baptiſmus, ſecundum Confirmatio, tertium Euchariſtia, quartum Pœnitentia, quintum extrema Unctio, ſextum Ordo, ſeptimum Matrimonium.

Unde noſti eſſe Sacramenta ſeptem, nec plura nec pauciora? ℟. Quia ſic docet Eccleſia Catholica, quæ eſt columna veritatis, & ſemper a Spiritu ſancto dirigitur, & cum Eccleſia conſentit S. Scriptura.

Sed

Sed quid movit Chriſtum, ut ſeptem illa, nec plura Sacramenta inſtituerit? ℟. Quia ſeptem illa & idonea, & ſufficientia ſunt, quæ vitam ſpiritualem animæ dent & conſervent.

Id mihi oſtende & declara. ℟. Per Baptiſmum primo ſpiritualiter naſceris: per Confirmationem, in gratia creſcis ac ſolidaris: per Euchariſtiam nutriris & ſuſtentaris.

Ad quid ſervit Pœnitentia? ℟. Ea nimirum medicina eſt, qua ſanari debet anima, ſi peccato infirmata fuerit.

Quid operatur extrema unctio? ℟. Munit & armat hominem contra hoſtes inviſibiles in agone mortis.

Sed cur inſtitutum eſt Sacramentum Ordinis? ℟. Ut ſemper eſſent in Eccleſia, qui vitam ſpiritualem nobis communicare, in eaque nos regere poſſent, quod faciunt Sacerdotes.

Demum quis finis eſt Matrimonii? ℟. Is eſt, ut liberi Chriſtiani ad Dei obſequium, & pro conſervatione generis humani, generentur legitime, & chriſtiane educentur.

§. 2. *De Baptiſmo.*

QUid eſt Baptiſmus? ℟. Sacramentum ſpiritualis regenerationis.

Cur appellas Baptiſmum regenerationem? ℟. Quia omnis Chriſtianus bis naſcitur, ſemel ſecundum corpus, deinde ſecundum animam renaſcitur in Baptiſmo.

Ee-

Ecquis baptizare poteſt ? ℟. Ordinarie id faciunt Sacerdotes, in caſu autem neceſſitatis poteſt id facere quivis homo, ſeu vir, ſeu fœmina.

Quæ eſt materia, qua baptizari debemus? ℟. Aqua naturalis.

Suntne etiam certa verba, quæ baptizans pronuntiare debet ? ℟. Sunt, & quidem hæc: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.

In Baptizante requirituine etiam intentio ? ℟. Requiri, ut Baptiſmum conferre velit, ſicut Chriſtus inſtituit, vel, ſicut conferre ſolet vera Eccleſia.

Sed homo baptizatus, quid ſit per Baptiſmum ? ℟. Filius Dei & Eccleſiæ, & hæres regni cœlorum, unde & imprimitur animæ baptizati per Baptiſmum character ſive nota hominis Chriſtiani.

Quid accipit homo in Baptiſmo ? Remiſſionem peccati Originalis, imo etiam aliorum peceatorum, quæ homo adultus ante ſuſceptionem Baptiſmi admiſit, infunditur etiam ipſi fides, ſpes, charitas, gratia ſanctificans & cum ea virtutum ſupernaturalium habitus.

Eſtne etiam Baptiſmus neceſſarius ? ℟. Tam neceſſarius, ut ſine illo nec infantes ſalvari poſſint.

Quo-

Quoties poteſt quis baptizari? ℟. Semel duntaxat, & qui bis ſuſciperet Baptiſmum, peccaret graviſſime.

Quid igitur cenſes de baptizatis ab hæretico? ℟. Neque hi ſunt rebaptizandi, nam Baptiſmus hæreticorum, in quo adhibetur aqua naturalis, cum verbis prædictis, & intentione faciendi quod Chriſtus inſtituit, eſt bonus & validus.

§. 3. *De Confirmatione.*

QUid eſt Confirmatio? ℟. Unctio Sacramentalis, qua homo baptizatus confirmatur in fide.

Ecquis poteſt Sacramentum Confirmationis conferre? ℟. Ordinarie id nemo poteſt, niſi ſolus Epiſcopus.

Qua materia perficitur Unctio in Confirmatione? ℟. Sacro Chriſmate.

Sed Chriſma ſacrum quid eſt? ℟. Eſt oleum & balſamum ab Epiſcopo benedictum.

Quæ verba pronuntiat Epiſcopus? ℟. Conſigno te ſigno ſanctæ crucis & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.

Cur inungitur frons? ℟. Quia frons eſt ſedes pudoris: hominem autem Chriſtianum non debet pudere fidei ſuæ, quando illius profeſſio exigitur.

Cur lenem alapam infligit Confirmato Epiſcopus ? R. Ut paratus ſit pro defenſione fidei dura quævis perpeti.

Hoc igitur Sacramentum quid confert ? R. Gratiam uberem, quæ te confirmat in vera fide.

Quid ergo officii ſortiris per Confirmationem ? R. Fio miles Chriſti, & in anima accipio characterem ac ſignum militis Chriſtiani.

Quæ conditiones requiruntur in ſuſcepturo hoc Sacramentum? R. Debet is eſſe baptizatus, & extra ſtatum peccati mortalis.

Poſſetne hoc Sacramentum ſæpius ſuſcipi ab eodem homine? R. Id vero eſſet mortale ſcelus & ſacrilegium.

§. 4. *De Sacramento Euchariſtiæ.*

QUid eſt communicare ? R. Nihil aliud, quam comedere & bibere corpus & ſanguinem Domini noſtri JEſu Chriſti.

Quid igitur eſt in hoſtia conſecrata ? R. Chriſtus JEſus cum ſacratiſſimo ſuo corpore, ſanguine, anima & Deitate.

An ergo errant, qui dicunt in hoſtia eſſe ſolum corpus Chriſti? R. Utique errant, nam corpus ſine ſanguine foret corpus mortuum, nos autem accipimus Chriſtum non mortuum, ſed vivum.

Sed

Sed videtur hoſtia eſſe merus panis ? ℟. Principio quidem in hoſtia nihil eſt, niſi panis ex tritico, at ubi ea a legitimo Sacerdote conſecrata fuerit, jam nullus in hoſtia panis eſt.

Quid ergo ? ℟. Realiter & ſubſtantialiter præſens eſt verum corpus & ſanguis Domini noſtri JEſu Chriſti.

Panis quo devenit ? ℟. Virtute Dei omnipotentis converſus eſt in carnem & ſanguinem Domini.

Senſus autem externi etiam in hoſtia conſecrata nihil percipiunt niſi panem ? ℟. Credendum eſt non ſenſibus, ſed fidei infallibili, & dicendum cum S. Thoma : *Viſus, guſtus, tactus in te fallitur, ſed auditu ſolo tuto creditur.*

Qui fit quod Chriſti præſentia nullo ſenſu externo percipiatur ? ℟. Ut meritum fidei tanto majus ſit, dum in obſequium fidei captivamus intellectum, etiam contra judicium ſenſuum externorum.

Quid eſt in calice Sacerdotis ? ℟. Antequam ille conſecretur, vinum in illo eſt, & pauxillum aquæ.

In calice autem conſecrato quid eſt? ℟. Sanguis Domini noſtri JEſu Chriſti.

Solusne ſanguis ? ℟. Non ; nam quia ſanguis Chriſti cum vivo Chriſti corpore conjunctus eſt, debet ſimul in calice eſſe corpus,

&

& anima & Deitas Chriſti: adeoque idem eſt in calice, qui in hoſtia, nempe totus Chriſtus.

An ergo Sacerdotes celebrantes Miſſam accipiunt plus, quam Laici? R. Nihil omnino, nam Laici accipiunt totum Chriſtum, uti & Sacerdotes, quamvis hi eundem bis accipiant.

Quidnam eſt in ſcypho, ex quo poſt Communionem bibunt, qui non ſunt Sacerdotes? R. Purum vinum.

Eſtne etiam in illo ſcypho Sanguis Chriſti? R. Nulla ratione: ſed, ut dixi, purum vinum.

Cur vinum illud poſt Communionem præbetur? R. Ut eodem os abluatur, & ejus ope ſacra Hoſtia tanto facilius in ſtomachum demittatur.

Qu communicare vult, debetne eſſe jejunus? R. Debet: ante Communionem enim nihil bibendum aut edendum eſt.

A quanto tempore debet eſſe jejunus? R. A media nocte, quæ immediate Communionem præcedit: hoc eſt, a duodecima noctis usque ad ipſum tempus Communionis.

Quale peccatum foret prius aliquid edere aut bibere, & poſtea communicare? R. Foret peccatum mortale.

Quot annorum eſſe debet, qui communicare vult? R. Tam adultus, ut ſciat, quid ſit

communicare, & qua ratione communicandum ſit, quod plerumque ſit circa undecimum aut duodecimum ætatis annum.

Si quis tam adultus foret, & ſufficienter circa communionem inſtructus, an is ad communionem obligatur? ℟. Obligatur utique, & quidem ſub peccato mortali.

Quando & quoties obligatur? ℟. Semel in anno, idque circa feſtum Paſchæ, deinde in articulo mortis.

De iis vero quid ſentis, qui communicant ſæpius? ℟. Sentio, admodum bene illos facere, qui de conſilio Confeſſarii ſui ſingulis menſibus, aut etiam ſeptimanis communicant.

Ad quid igitur prodeſt frequens communio? ℟. Auget in anima gratiam & gloriam; minuit pœnas purgatorii; roborat adverſus tentationes; domat malignas paſſiones; inſerit virtutes; illuminat intellectum; accendit voluntatem; & impetrat etiam benedictionem in temporalibus.

Qui communicant, accipiuntne omnes parem gratiam? ℟. Illis plus gratiæ datur, qui melius ad communionem ſe præparant.

In quo conſiſtit hæc præparatio? ℟. Ut accedas magna devotione & puritate cordis, & multis virtutibus ornatus.

❧ o ❧

§. 5. De

§. 5. *De Sacramento Pœnitentiæ.*

QUid eſt Pœnitentia ? ℟. Sacramentum, vi cujus homo baptizatus abſolvitur a peccatis poſt Baptiſmum admiſſis.

Quis poteſt a peccatis abſolvere ? ℟. Sacerdos, tanquam Vicarius Dei.

A quo collata eſt hæc poteſtas Sacerdoti ? ℟. A Chriſto Domino, dum nempe is dixit Apoſtolis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Joan. 20. v. 22.

Quid facto illi eſt opus, qui per hoc Sacramentum peccatorum veniam deſiderat ? ℟. Quatuor ſequentia obſervet. Primo, de peccatis ſe examinet: Secundo, de iisdem doleat & faciat propoſitum emendandi: Tertio, omnia ſincere confiteatur: Quarto, pœnitentiam injunctam adimpleat.

Suntne etiam aliqui, qui ſub peccato gravi ad confeſſionem teneantur ? ℟. Sunt, pro dolor, & multi nimis; nempe omnes, quotquot a ſuſcepto Baptiſmo peccarunt graviter.

An etiam ad confeſſionem obligantur pueri ? ℟. Etiam pueri, quando ejus ætatis ſunt, ut diſcernere poſſint inter bonum & malum, quod plerumque contingit, quando ſeptimum ætatis annum ſuperarunt.

Quoties tenemur confiteri ? ℟. Semel in anno, & deinde quoties ſumus in periculo mortis.

Qui jam toto anno confeſſionem omitteret? ℟. Is hoc ipſo peccaret mortaliter.

Sed ſatisne eſt peccatori ſæpius in peccata labenti ſemel duntaxat confiteri? ℟. Quisquis talis eſt, a peccato admiſſo ſtatim & prima occaſione confiteatur.

Cur ita ſtatim? ℟. Ut ocyus exeat e ſtatu peccati mortalis, in quo quamdiu eſt, nihil meretur apud Deum, & obnoxius manet damnationi æternæ.

Cenſesne etiam conſultum, ut quis ſingulis menſibus aut ſeptimanis confiteatur? ℟. Id valde conſultum cenſeo: nam ex confeſſione crebra oritur magna cordis puritas, quies animi, emendatio vitæ, remiſſio culparum, imo & pœnarum iis debitarum.

§. 6. *De extrema Unctione.*

EXtrema Unctio quid eſt? ℟. Sacramentum proprium infirmorum, eosdem roborans in agone mortis.

Cujus eſt infirmos inungere? ℟. Sacerdotis.

In Unctione illa ſacra quid adhibet Sacerdos? ℟. Oleum ab Epiſcopo benedictum.

Quæ verba inter ungendum pronuntiat? ℟. Iſta: Per iſtam ſanctam Unctionem & per ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat Deus quidquid deliquiſti per viſum, &c.

Quæ

Quæ conditiones requiruntur in ſuſcepturo hoc Sacramentum? R. Debet is eſſe baptizatus; liber a peccato mortali; ita æger, ut probabile mortis periculum ei immineat; denique debuit fuiſſe aliquando capax peccati, adeoque habuiſſe aliquando uſum rationis.

Suſceptio hujus Sacramenti debetne differri ad ultimum mortis articulum? R. Minime: ſed præſtat prævenire, ac tum ſuſcipere, cum æger periculoſius laborare incipit.

At ſunt, qui putent ſe ſuſcepto hoc Sacramento, citius morituros? R. Hæ ſunt fraudes Dæmonis, id nimirum molientis, ut ægrum imparatum & virtute hujus Sacramenti deſtitutum tanto facilius vincat in morte.

Infirmo itaque quid confert extrema Unctio? R. Augmentum gratiæ; robur adverſus tentationes Dæmonis; remiſſionem peccatorum venialium, uti & pœnarum purgatorii, ſæpe etiam priſtinam corporis ſanitatem.

Quoties extrema unctione muniendus eſt infirmus? R. In una eademque infirmitate ſemel duntaxat: at ſi convaluerit, iterumque infirmetur, iterum inungi poteſt.

§. 7. *De Sacramento Ordinis.*

QUid eſt Ordo? R. Eſt Sacramentum, quo Sacerdotibus aliisque Eccleſiæ miniſtris gratia & poteſtas confertur ad munia ſua rite obeunda.

A quo poteſt quis Sacerdos ordinari? ℟. A nemine, niſi ab Epiſcopo legitime conſecrato.

Ecquis Sacerdotii ſuſcipiendi eſt capax? ℟. Debet is, ex inſtitutione Chriſti, eſſe baptizatus, & eſſe ſexus non fœminei; ſed virilis.

Hæc duo an ſufficiunt? ℟. Exigitur præterea, ut Ordinandus ſit confirmatus, exiſtens in ſtatu gratiæ, a doctrina & virtute probe inſtructus, demum ut cætera habeat, quæ in Eccleſiaſticis Canonibus requiruntur.

Ordinis Sacramentum quid confert? ℟. Duo præcipue: Primum eſt poteſtas quædam ſpiritualis, alterum ſingularis quædam gratia.

In quo conſiſtit hæc ſpiritualis poteſtas Sacerdotis? ℟. In eo, quod poſſit conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti, remittere hominibus peccata, & certa Sacramenta miniſtrare.

Qualis eſt gratia hujus Sacramenti? ℟. Talis, quæ roborat Sacerdotem, ut munia ſua bene exequatur, & vitam ducat Sacerdote dignam.

Vita ergo Sacerdotis qualis eſſe debet? ℟. Angelica purior.

Quare hoc? ℟. Quia officium Sacerdotis eſt præſtantius officio Angeli.

Id oſtende? ℟. Angelus nequit convertere panem in corpus & vinum in ſanguinem Domini, nec condonare peccata hominibus, quod tamen utrumque poteſt Sacerdos.

Quod

Quod denique eſt officium meum erga Sacerdotem? ℟. De nullo Sacerdotum loquere male: reverere omnes, etiam impios: & qui tibi Pater ſpiritualis futurus eſt, eidem obtempera.

§. 8. *De Matrimonio.*

QUid eſt Matrimonium? ℟. Conjunctio maritalis & indiſſolubilis inter marem & fœminam.

A quo Matrimonium eſt inſtitutum? ℟. A Deo, cum in paradiſo creavit Adamum & Evam.

Quis illud evexit ad ſtatum Sacramenti? ℟. Is, qui author eſt Sacramentorum novæ legis, nempe Chriſtus JEſus.

Chriſtianus, qui matrimonium inire vellet, debetne eſſe in gratia? ℟. Omnino debet, ne per ſtatum peccati Sacramentum inhonoretur, & ipſe novo ſacrilegii ſcelere contaminetur.

Sacramentum matrimonii quid operatur in novis conjugibus? ℟. Gratiam perferendi pacate hujus ſtatus onera, & liberos chriſtiane educandi.

Quæ ſunt officia chriſtianorum Conjugum? ℟. Debent ſe mutuo amare; ſibi eſſe fideles; res familiæ curare ſedulo; domeſticos omnes, liberos præcipue erudire in timore Domini.

Poſſuntne parentes liberos ſuos ad matrimonium ineundum cogere? R. Id nec poſſe, nec debere, imo matrimonium coactum eſt invalidum.

Sed liberi an bene faciunt, dum nubunt parentibus inſciis & invitis? R. Non bene; imo poſſe liberos hac in re peccare mortaliter, ac plerumque ſimilia matrimonia benedictione divina poſtea deſtitui, videlicet quando parentes habent juſtas cauſas ejusmodi matrimonia impediendi.

INSTRUCTIO IV.

De quatuor hominis Noviſſimis.

§. 1. *De Morte & Judicio.*

AN omnes homines debent mori? R. Statutum eſt hominibus ſemel mori.

Enoch tamen & Elias nondum ſunt mortui. R. Adhuc morientur illi, & in fine mundi occidentur ab Anti-Chriſto, tanquam teſtes chriſtianæ veritatis.

Moriunturne etiam animæ? R. Nulla ratione, ſed animæ hominum ſunt immortales, & æternum vivent in cœlo, vel in inferno.

Solum igitur corpus in homine moritur? R. Id ſolum moritur.

An ſemper mortuum manebit? Non ſemper: nam in die Judicii reſurget: unde &

pro-

proteſtamur in Symbolo : *Credo carnis reſurrectionem.*

Sed quando & ubi moriendum ? ℟. Id neſcio, Deus ſcit. Mors quidem omnibus certa eſt, ſed dies & locus mortis ſunt incerta.

Vigilandum ergo, ne mors nos imparatos inveniat. ℟. Id recte colligis : nam qualis es in morte, talis judicaberis, & talis æternum eris: a momento mortis pendet æternitas.

Quodnam hoc judicium eſt, cujus mentionem facis? ℟. Illud enimvero duplex eſt: Particulare & univerſale.

Particulare quando erit ? ℟. Hoc ſubit cujusque hominis anima, quamprimum egreſſa eſt e corpore : nam in loco, quo morimur, etiam ſtatim a Chriſto judicamur.

Sed Judicium univerſale quando : & ubi erit ? ℟. In fine mundi, tunc enim in valle Joſaphat omnes homines convenient, & ſtabunt boni a dextris velut oves, & mali a ſiniſtris, tanquam hœdi, & omnes ſimul judicabuntur.

De qua re ? ℟. De omnibus verbis, cogitationibus, & operibus : de omni temporis momento a te impenſo; de omni bono, quod neglexiſti ; de minimo verbo otioſo, quod dixiſti.

Quis erit accuſator ? ℟. Angelus bonus, & malus.

Quis teſtis? ℟. Propria conſcientia.

Quis Patronus? ℟. Sola bona opera, & quo plura ejusmodi feceris, hoc melius ſubſiſtes.

Quis Judex? ℟. Chriſtus JEſus, quem tuis hic peccatis offendiſti, vel bonis operibus demeruiſti, & ab hoc nulla dabitur appellatio.

Qualem feret ſententiam? ℟. Juſtis dicet: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi; Impiis vero: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.

O ſententiam horrore pleniſſimam? ℟. Tu igitur modo ſic vive, ut inter Benedictos olim recenſeri merearis.

§. 2. *De Inferno & cæleſti Gloria.*

JUdicio peracto quo ibunt homines? ℟. Quæſtio hæc pulchra eſt, ſed diligenter adverte reſponſum. Poſt Judicium particulare multorum animæ ibunt ſtatim ad infernum, aliæ ad purgatorium, & Sancti cum corpore, & anima erunt in cœlis, & impii cum corpore & anima in inferno.

Quid eſt infernus? ℟. Locus ſuppliciorum infra terram, in quo ſine fine torquentur damnati.

Qui ſunt in inferno? ℟. Dæmones, & homines mali.

Qui-

Quinam ergo ex hominibus ad infernum venient? ℟. Qui mortui ſunt in peccato mortali, etiam unico.

In inferno autem quæ ſunt pœnæ? ℟. Perpetua carentia viſionis Dei; ignis æternus, ad quem noſter non niſi pictus eſt; fœtor intolerabilis; vermis conſcientiæ immortalis; diriſſima fames & ſitis; fœdiſſima Dæmonum ſocietas; denſiſſimæ tenebræ; fletus & ſtridor dentium; deſperatio & blaſphemiæ horrendæ; uno verbo: In inferno nihil eſt boni, ſed omne malum.

Bone JEſu! quas tu pœnas memoras? ℟. Nullas alias, niſi quas Deus improbis in Scriptura ſacra eſt minatus.

Pœnæ autem iſtæ quamdiu durabunt? ℟. Æternum, æternum.

Quid hoc eſt æternum? ℟. Quod nunquam finem habebit.

Si ergo damnati arſerint centum annorum millia, nondum erit ſuppliciorum finis? ℟. Nondum, imo vix tum erit æternitatis initium.

Pro unico peccato mortali tamdiu ardebunt homines? ℟. Pro leviſſima peccati mortalis voluptatula ſine fine ardebunt.

O inſanos ergo homines qui peccant? ℟ Certe ſunt inſaniſſimi, nec homines hi ſunt, ſed ipſis beſtiis pejores & infeliciores.

An præter infernum datur etiam purgatorium? ℟. Datur & illud.

Ad

Ad purgatorium qui veniunt ? ℟. Qui quidem moriuntur in gratia, ſed certa peccata venialia, aut etiam mortalia (quamvis hæc confeſſi ſint) nondum ſatis expiarunt.

Quamdiu in purgatorio manebunt ? ℟. Usque dum plene pro peccatis ſuis ſatisfecerint, vel aliorum vivorum ſuffragiis juventur, ac tum recipientur in cœlum.

Quid eſt cœlum ? ℟. Locus æternorum gaudiorum, in quo cum Chriſto ſine fine regnant beati.

In cœlo igitur qui ſunt ? ℟. Deus, Angeli, & homines ſancti.

Quæ ſunt cœli gaudia ? ℟. Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. Gaudia iſta nec dici, nec cogitari queunt.

Saltem tuo modulo iſthæc gaudia ediſſere ? ℟. In cœlis ſine fine Deum videbis, Deo frueris, & in Deo videbis omnia. In cœlis eſt abundantia ſine indigentia, pax ſine bello, ſanitas ſine dolore, vita ſine morte, pulchritudo ſine deformitate, ſcientia ſine ignorantia, lux ſine tenebris, gloria ſine ignominia, ſatietas ſine faſtidio, gaudium ſine triſtitia. Quid multa ? Omne bonum absque ullo malo.

O vitam feliciſſimam ? ℟. Si tu vis ad vitam hanc ingredi, ſerva mandata, declina a malo, & fac bonum : *Non* enim *intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Apoc. 12. v. 27.

IN-

INSTRUCTIO V.

Expediuntur præcipuæ Quæſtiones Fidei inter Catholicos, & Acatholicos controverſæ.

SECTIO I.

De Eccleſia.

§. 1. *Eſtne una vera fides, ſive eſtne unica vera Eccleſia, extra quam nemo fiat ſalvus?*

EST unica tantum, ita docet Chriſtus *unum ovile*, & *unus Paſtor*. Joan. 10. v. 6. & S. Paulus: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus, & Pater omnium.* Epheſ. 4. v. 5. Sicut ergo in toto mundo eſt unus tantum Deus, ita & unica recta fides. Adſtipulatur ratio manifeſta: Credere aliquid fide divina, eſt aſſenſum alicui præbere, quia Deus dixit: jam autem impoſſibile eſt, Deum dixiſſe omnia illa, quæ nos Catholici credimus, & omnia illa, in quibus Acatholici a nobis diſſentiunt, v. g. dari purgatorium, & non dari: Sanctos licite invocari, & non invocari licite, &c. Hæc enim ſunt repugnantia, quorum unum aperte verum, & alterum aperte falſum eſt, quæ Deus, prima veritas, nullius erroris: capax ſimul eloqui non poteſt. Evidentiſſimum igitur eſt, alter-

utram

utram partem, vel Catholicos, vel Acathoſicos, in punctis, queis diſſentiunt, errare. Eſt itaque una tantum fides, & Eccleſia una, & qui in hac vera Eccleſia non eſt, ſalvari non poteſt. Clariſſima ſunt illa Chriſti verba: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marc. 16. v. 6. & illa D. Pauli: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hebr. 11. v. 6. Qui autem Deo non placuerit, ab eodem certe ad cœlum non admittetur. Veriſſime etiam ſcripſit S. Athanaſius: *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat catholicam fidem, quam niſi quisque integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.* In Symbolo.

§. 2. *Eccleſia illa unica eſtne perpetuo viſibilis?*

TAm id eſſentiale eſt Eccleſiæ, ut, ſi illa viſibilis non eſt, nec Eccleſia ſit. In vera enim Eccleſia, ſunt, & ſemper erunt usque ad conſummationem ſæculi legitimi Paſtores, qui recte doceant, & Sacramenta adminiſtrent, quæ ſunt functiones manu palpabiles. Apud D. Paulum Apoſtolum: *Et ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in unitatem*

tem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Epheſ. 4. v. 11. 12. 13. Exinde patet viſibilia Eccleſiæ miniſteria duratura usque ad finem mundi. Deinde ſi Eccleſia foret inviſibilis, non poſſet agnoſci, multo minus adiri & conſuli. Ex quo, quam ſequantur abſurda, agnoſce. Quilibet infidelis ante Calvini, & Lutheri tempora ſub periculo damnationis perpetuæ tenebatur, ut veræ Eccleſiæ ſe adjungeret, & eam, ubi quærere vellet, reperire non poterat, quia erat inviſibilis. An non hoc eſt Deum tyrannum facere, qui impoſſibilia præcipiat? certe tyrannus foret Romanus Cæſar, qui ſubditis mortem minaretur, ni Conſtantinopolim in Imperio ſuo ſitam confugiant, cum hæc nusquam in Imperio Romano reperiri queat. Sentiendum igitur eſt cum D. Auguſtino: *Ipſa eſt Eccleſia in ſole poſita, id eſt, in manifeſtatione, omnibus nota, usque ad terminos terræ.* Tom. 2. Epiſt. 166. ad Donatiſtas & alibi: *Non eſt operta Eccleſia, quia non eſt ſub modio; ſed ſuper candelabrum, & de illa ſcriptum eſt: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.* Matth. 5. v. 15. *Sed Donatiſtis velut operta eſt, qui audiunt tam lucida, manifeſta teſtimonia, quæ illam toto orbe demonſtrant, & malunt clauſis oculis offendere in montem, quam in eum aſcendere.* Tom. 7. lib. de unitate Eccleſiæ Cap. 16. Pag. 138.

Ec-

Ecclesia itaque cum sit visibilis, quoad Pastores, & veros fideles, inde ulterius patet, in ea non solos prædestinatos, qui agnosci nequeunt; sed bonos, malis permixtos reperiri. Est enim Ecclesia area, in qua triticum simul & palea. Matth. 3. v. 13. Rete ex omni genere piscium congregans. Matth. 13. v. 47. Regale convivium, ad quod boni, & mali vocati sunt. Matth. 22. v. 10. Aggregatio Virginum, quarum quinque sapientes, & quinque fatuæ nominantur. Matth. 25. v. 2.

§. 3. *Ecclesia hæc visibilis potestne errare, & deficere in aliquo fidei articulo?*

CErtum est aliquam Ecclesiæ partem errasse sæpius, ac multo magis errare posse. Tota autem Ecclesia, uti complectitur cœtum fidelium cum suo capite, nec minimum dogma proponere potest, quod rectæ fidei, & Scripturæ sacræ repugnat. Ecclesia enim in omnibus, nullo dogmate excepto, *est columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. v. 5. Illi Christus promisit: *Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. 16. v. 13. Quod si autem Ecclesia vel in unico fidei puncto errare posset, & docere perperam, jam in eo puncto portæ inferi adversus eam prævalerent. Et hoc quid est aliud, quam Christum promissi sui minime observantem, adeo-

adeoque mendacem facere. Nonne idem Chriſtus alibi Eccleſiæ pollicitus eſt: *Ecce ego vobiſcum ſum usque ad conſummationem ſæculi.* Matth. 28. v. 20. Quod ergo erroris & caliginis periculum ſit Eccleſiæ, cui perpetuo adeſt Chriſtus æterna veritas & indefectibilis juſtitiæ Sol? At, inquis, Synagoga Judaica tota defecit tempore Eliæ, qui propterea queritur: *Derelictus ſum ego ſolus.* 3. Reg. 19. v. 14. Verum id inſigne eſt mendacium, tum quia de Regno Iſraëlis fatetur Deus: *Dereliqui mihi in Iſraël ſeptem millia Virorum, quorum genua non ſunt curvata ante Baal.* Ibidem v. 18. tum quia eodem ipſo tempore ſub Regibus Aſa, & Joſaphato in Regno Judæ vera religio, & ejus cultus publicus ſumme florebat. 2. Paral. 15. v. 8. & C. 21. v. 12. 2. Paral. 17. 3. Reg. 19. v. 10. Quomodo ergo tota Synagoga defecit? Deinde ponamus defeciſſe, non tamen Eccleſia: huic enim, non Synagogæ perpetua infallibilitas promiſſa eſt: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* At, inquis, Eccleſia componitur cum luna. Componitur, inquam ego, non quia mutabilis, ſed quia inſtar lunæ initio parva, demum maxima evaſit: quia lucet in mundi caligine: quia lucem omnem, pulchritudinemque a Sole juſtitiæ Chriſto mutuatur. At, inquis, ſaltem tempore Anti-Chriſti deficiet Eccleſia, cum dicat Apoſtolus: *Niſi venerit diſceſ-*

ſio primum. 2. Theſſal. v. 23. & Daniel: *Deficiet hoſtia & ſacrificium.* Danielis 9. v. 27. Ajo Apoſtolum explicari a certis de defectione ab Imperio Romano, non a fide. Ajo tempore Anti-Chriſti aliquos fidei deſertores futuros, non omnes. Ajo Danielem de defectione Synagogæ judaicæ, non chriſtianæ Eccleſiæ intelligendum eſſe. Quis igitur non videt, quam falſo ſpargant Acatholici, Eccleſiam primis tribus, aut quatuor, aut quinque ſæculis conſtitiſſe ſanam, tum in varios errores prolapſam eſſe, verum tempore Lutheri, & Calvini erectam denuo: Fruſtra, fruſtra vos Acatholici prorepſiſtis in orbem, vultis enim reædificare Eccleſiam, quæ nulla ſui parte corruit, nec corruere poteſt.

§. 4. *Quænam eſt vera Eccleſia?*

NOn Lutheranæ, nec Calvinianæ competit eſſe veram Eccleſiam, ſed ſoli Romanæ Catholicæ, etiam modernæ, quæ eſt eadem cum antiqua. Id probo argumento evidenti, imo palpabili. Chriſtianiſmus jam ſtetit annis mille ſexcentis ſeptuaginta; in hoc annorum decurſu ſemper viguit in orbe vera, & viſibilis Chriſti Eccleſia, cum ſingulis ſæculis homines ſalvi facti ſint, nemo autem ſalvatur extra veram Eccleſiam. Dicant jam Lutherani, & Calviniſtæ ubi illorum Eccleſia

ſia per quindecim integra ſæcula ante Lutherum, & Calvinum extiterit.

Reſpondent primo: extitiſſe in Infantibus baptizatis. Profecto hæc eſt infans, & fatua reſponſio. Chriſtus namque Eccleſiam ſuam voluit perpetuam non in ſolis Infantibus, ſed præcipue in adultis, qui prædicarent, & adminiſtrarent Sacramenta, uti fatentur ipſimet Adverſarii: *Eccleſia eſt congregatio Sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte adminiſtranur Sacramenta.* Conf. Auguſt. art. 7. Quæ munia infantibus minime conveniunt.

Reſpondent alii ſecundo: Eccleſia vera ante Lutherum, & Calvinum exiſtebat in occultis Electis, qui propter Papæ tyrannidem caput exerere, & Chriſtum confiteri non audebant. Quis credat tot, quindecim nempe ſæculorum Electos, fortiſſimos Heroës, non auſos fuiſſe contradicere Papæ, quorum innumeri contra tyrannos Ethnicos generoſiſſime decertarunt usque ad mortem? Quis id genus homines pro electis habeat, qui fidem ſuam non confitebantur, nec alios errantes in viam revocabant, cum eos Chriſti præceptum ad id graviſſime urgeret: *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.... Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo &*

ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Matth. 10. v. 27. 32. Fuerint electi: at certe non manſere tales, poſtquam tanti momenti mandatum ſunt prævaricati. Denique quid in occultis electis Eccleſiam conſtituis, quam eſſe decet orbe toto conſpicuam? Ergo Eccleſia, mons domus Domini, præparatus in vertice montium, in caverna aliqua deliteſcat? Et ſemen illud ignotum fuerit, de quo prophetavit Iſaias: *Et ſcient in gentibus ſemen eorum in medio populorum: omnes qui vicerint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, dui benedixit Dominus.* Iſaiæ 61. v. 9. Apage ſis cum tua Eccleſia occulta, & inviſibili, quæ nihil eſt niſi mera & puta Chimæra.

Reſpondent alii tertio. Eccleſiam Lutheranam, & Calvinianam ex iis olim coaluiſſe, qui Papæ errores refellebant. Exempli gratia decimo quarto ſæculo Joannes Huſſus, & aliis ſæculis, alii.

Quid Huſſum Lutheranum aut Calviniſtam fingis? Ille cum Lutheranis, & Calviniſtis faciat, qui in plerisque ab iisdem diſſenſit, qui diſerte Sanctorum invocationem, Reliquiarum cultum, ſeptenarium Sacramentorum numerum, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, & plura alia Sectariis noſtris plane adverſa aſſeruit, ut videre eſt in operibus Huſſi, anno 1583. Norimbergæ editis? Audiatur Lutherus ipſe: *Non recte faciunt, qui me*

Huſ-

Huſſitam vocant, non enim meum ille ſentit. In aſſert. art. 30. Idem alio loco queritur: *Miſſa privata multos Sanctos decepit, & in errorem abduxit a tempore Gregorii per annos octingentos. Joannes Huſs eodem reti captus fuit. Mirari ſatis nequeo, qua via & ratione ab hac unica Idololatria me Deus liberaverit.* In Conv. Cap. Miſſa.

Alii demum fidei ſuæ antiquitatem a Græcis mutuari volunt. At a quibus? a veteribus, qui ante ſchiſma vixere? Illi ſane in omnibus Catholici ſunt, noſtri ſunt, uti veterum græcorum Patrum Scripta, & monumenta teſtantur: a modernis? Hi proceſſionem Spiritus S. a Filio negant, quam tamen Sectarii noſtri nobiſcum credunt: hi in nonaginta duobus articulis a Lutheranis, & Calviniſtis diſſident, quos omnes recenſet Joannes Piſtorius Nidanus Epiſtola tertia ad Joannem Pappum, deſumpſitque ex ipſismet litteris Jeremiæ Patriarchæ ad Theologos Tubingenſes datis, & ab iisdem poſtea cum magno eorum propudio typo vulgatis, queis Patriarcha unionem omnem cum Lutheranis repudiat. Proteſtor itaque noſtri temporis, Heterodoxos eſſe homines plane novos. Proteſtor ex omni antiquitate, & ſedecim ſæculorum decurſu, nullum ſanctum Apoſtolum, Martyrem, Patrem, nullam urbem, pagum, domum, nullum hominem adultum ortho-

doxum, nullum denique prioris ævi hæreticum, omnia ea dogmata amplexum esse, quæ in libris suis Calvinus, & Lutherus suis Asseclis proposuere. Nullus igitur ante Lutherum Lutheranus, nullus ante Calvinum Calvinista. Nec mihi tu dixeris minime requiri, ut Veteres in omnibus conspirarint cum modernis Acatholicis, sed sufficere quod consenserint in Principalibus de Christo v. g. unico Mediatore. Id, inquam, tu mihi ne dixeris: nam eam distinctionem ubi reperis in Scriptura? Christi promissum nihil excipit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ecclesia etiam in minimo (si tamen datur in fide minimum) invicta est. Sponsa est non habens maculam, neque rugam. Adhæc quæ sunt, veritates illæ principales? Edissere. An eæ tantum, quas Scriptura revelat de Christo? Ergo qui cum Macedonio negat divinitatem Spiritus sancti, cum Manichæo creationem mundi factam a Deo non erit hæreticus? Quid obsecro est credere? Assentiri propter authoritatem Dei revelantis. Ita Deus in Scripturis revelavit mortem Christi, & lapsum Petri. Qui illam crederet, & negaret hunc, nunquid gravissimam sapientissimo, & veracissimo Deo irrogaret injuriam? nunquid hæreseos reus erit? cum repudiet motivum formale fidei, infinitam & in omnibus, in omnibus, dico, infallibi-

lem

lem Dei loquentis àuthoritatem. Sic igitur rejectis Novatorum Sectis aſſero, & vere aſſero.

Sola Romana etiam moderna, eſt vera Eccleſia. Hæc enim ſola (ut reliquas Eccleſiæ notas taceam) perpetua & viſibilis conſtitit à Chriſto usque ad noſtra hæc tempora. Ejus antiquitati ſuffragantur templa vetuſtiſſima, illa quoque, quæ Acatholici a nobis obtinent, in quibus olim Reliquiarum, Imaginum, Sanctorum cultus, & Miſſæ Sacrificium vigebant, nunc pro dolor, doctrinæ & ritus novi: ſuffragantur ipſa templorum nomina apud Sectarios nondum eraſa, ſed omnium ore celebrata; Sic etiam modo ab iis templa nuncupantur a D. Virgine, D. Petro &c. & tamen certum eſt, nulla ipſos unquam templa ad Sanctorum honorem exſtructuros, ſed a nobis exſtructa, duntaxat rapuiſſe: ſuffragantur fundationes ampliſſimæ Eccleſiarum Cathedralium, & Cœnobiorum olim alendis Eccleſiaſticis, & Religioſis, nunc prophanis ſumptibus inique & contra Fundatorum mentem deputatæ: ſuffragantur Martyrum monumenta marmorea, ænea, argentea, a Majoribus noſtris ſumma religione excitata, ab hæreticis vero noſtris disjecta, & diſturbata: ſuffragatur continua per mille & ſexcentos annos Epiſcoporum in Sede Romana, uti & in aliis particularibus, Colonienſi v. g. Trevirenſi,

virenſi, & Moguntina ſucceſſio : ſuffragantur Reliquiæ Sanctorum, quarum aliæ e templis vetuſtis extractæ, nunc iu Principum Acatholicorum theſauris aliæ in templis ipſis, Norimbergæ v. g. hodiedum aſſervantur. Quot antiquæ Statuæ, Cruces, manuſcripti Codices, Sepulchra, Cœnobia, Templa tum apud nos, tum apud Adverſarios viſuntur, tot teſtes irrefragabiles, & monumenta maxime clamoſa antiquiſſimæ noſtræ religionis circumfert, & oſtentat Orbis univerſus. Romanæ modernæ fidei conſtantem vetuſtatem evincunt antiqui Sancti Patres a nobis ſtantes, quorum teſtimonia pro nobis citata etiam brevis hæc inſtructio exhibet. Hanc exigit Majorum noſtrorum ſalus : Non enim hi homines per tot ſæcula ante Lutherum & Calvinum damnati (hoc quippe aſſerere impium foret & barbarum) in illa ergo fide, in qua Majores noſtri ſalutem obtinuere, cur non eandem, & nos obtineamus? Romanam Eccleſiam probat Paulus: *Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.* Rom. 1. v. 8. Quæ jam ſemel eſt vera fides, eadem ſemper manet. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Ipſi ipſi denique hoſtes noſtri, velint nolint teſtimonium præbent Catholicorum antiquitati : Non enim nos ex illis, ſed illi exierunt a nobis. Lutherus nonne Monachum, & Calvinus nonne Canonicum Noviodunenſem, an-

te-

tequam Sectarum ſuarum authores fierent, egit? Cum D. Auguſtino igitur concludamus. *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia catholica, contra omnes hæreſes pugnans. Pugnare poteſt expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa. Ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua. Portæ inferorum non vincent eam.* Tom. 9. lib. 1. de ſymbolo ad Catechum. Cap. 6. Pag. 259.

An ergo omnes Acatholici damnabuntur? R. Qui ex illis non ſciunt melius, nec habent occaſionem melius ſciendi, uno verbo, qui laborant ignorantia invincibili rectæ fidei, & tum bene vivunt, ſervantque præcepta Dei, illi ſalvantur; de reliquis autem valet illud Auguſtini: *Quisquis ergo ab hac catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quod a Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Tom. 2. Epiſt. 152. ad Donatiſtas.

SECTIO II.

De Judice Controverſiarum.

§. 1. *Excluditur ab Officio Judicis Controverſiarum Spiritus privatus.*

QUia ſupremus Controverſiarum Judex debet ſententiam pronuntiare authori-

tate infallibili, ac tali, cui tuto fidi queat, & quæ potens ſit lites terminare, hinc talis Judex ſtatui uon poteſt Spiritus privatus: tum quia per illum nulla controverſia componi poteſt; eſſent enim tot diverſi Judices, ac tot ſententiæ, quot capita: tum quia non eſt infallibilis teſte Pſalmiſta: *Omnis homo mendax.* Pſalm. 115. v. 2. Et huic Spiritui non patrocinatur illud Pauli: *Spiritualis quidem dijudicat omnia.* 1. Cor. 2. v. 15. Nam etſi vere Spiritualis recte judicet, unde conſtat te in particulari vere ſpiritualem eſſe. Porro talis eris ſi cum Eccleſia feceris, quæ infallibilitatem promiſſam habet: Nec illud D. Joannis: *Et non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos: ſed ſicut Unctio ejus docet vos de omnibus.* 1. Joan. 2. v. 37. Nam ſi Unctio unumquemque Sectarium docet de omnibus, quid ergo neceſſarii ſunt Prædicantes? cur ii tot libros ſcribunt? Bone vir Unctio docet de omnibus, ſed nihil docet Scripturæ contrarium. Scriptura autem jubet audiri Eccleſiam. Denique D. Joannes tantum vult vitari falſos Doctores, & Seductores, qualis non eſt Eccleſia.

§. 2. *Nec id munus competit ſoli Scripturæ Sacræ.*

INdubitatum eſt Judicem ſupremum in controverſiis fidei, debere decidere contro-

ver-

verſias omnino omnes, & dubia univerſa reſolvere, quæ oriri poſſunt circa articulos creditu neceſſarios, ut ſalveris, Sane is, qui lite ad ſe delata, ſilet, & ſententiam nullam pronuntiat, aut tribunal aliud adire jubet, is, inquam, minime ea in lite Judex eſt. Scriptura autem de variis, & præcipuis, & ſaluti conſequendæ ſumme neceſſariis myſteriis conſulta, nihil decidit, nihil eloquitur. Quomodo ergo ea ſit ſola Judex? Interroga Scripturam, an extent libri quidam Canonici, qui ſint verum verbum Dei? nihil definiet. An, ſi Paulus Epiſtolas ſcriptas reliquerit, eæ ſint illæ veræ Epiſtolæ, quas nos modo manibus tenemus? Nihil reſolvet. An baptizandi Infantes? Indeciſum relinquet. An baptizaturus hæc verba: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. exprimere debeat ore, an ſufficiat mente cogitari? An baptizati ab hæreticis, ab Ariano v. g. Polono, aut Tranſylvano, ſint rebaptizandi, ubi ad Lutheranos, aut Calviniſtas, aut Catholicos deflexerint? An Chriſtianis loco Sabbathi (cujus cultus in ipſo Decalogo præcipitur) colere liceat diem Dominicum? An Sacramenta ſint duo duntaxat, an plura? An Chriſtus deſcenderit ad inferos, hoc eſt, ad limbum Patrum? &c. De his omnibus Scripturam conſule, quid ipſa? Tacet, & in neutram partem determinat. Quid? quod in his omnibus ad forum aliud

te

te remittat. *Itaque fratres ſtate*, inquit, & *tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* 2. Theſſ. 2. v. 14. Audin' quomodo Scriptura ipſa traditionem in declarandis, & ſtatuendis dogmatibus fidei ſociam admittat? Quo igitur pacto ipſa ſola ſit Judex? Quam bene germani Principes & ſuæ & Subditorum ſaluti conſulerent, ſi coacto Prædicantium concilio hæc eis in mandatis darent. *En boni Viri, multa vos nobis credenda proponitis* (qualia ſunt quæ modo recenſui) *ea igitur vos ex Scriptura, unica credendorum regula, uti aſſeritis, comprobate, comprobate autem per teſtimonia omnino clara, aut per conſequentias invictas & ineluctabiles. Sin minus, ab ejuscemodi credendorum obligatione nos abſolvite.* Experientur hac via Principes, quam bonis Prædicantibus aqua hæreat, & quam ſuomet gladio facile jugulentur: Ubi ſcriptum eſt. Videlicet, nullibi, nullibi. Et quam recte olim ſcripſerit Epiphanius: *Oportet autem & traditione uti; non enim omnia a divinâ Scriptura poſſunt accipi: quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt. Quemadmodum dicit S. Apoſtolus: Sicut tradidi vobis.* S. Epiphanius hæreſi 61.

Alterum Judicis officium eſt, ut cauſa, quæ ad tribunal ejus pertinet, diligenter excuſſa ſententiam clare ac definite pronuntiet, quo par-

partes litigantes intelligant, utra earum cauſam evicerit, utra perdiderit; pro qua jus, & contra quam faciat. An non Curiæ ſupremæ id maxime proprium eſt, ut judicium ſuum verbis non ambiguis, ſed diſtinctis proferat, & quæ liti finem imponant? e Scriptura ſacra quot enaſcuntur lites? *Omnes hæretici, inquit* D. Auguſt. *Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud ſunt hæretici, niſi quod eas non recte intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pervicaciter aſſerunt.* Tom. 3. de Geneſi ad litteram lib. 7. c. 9. pag. 212. & alibi.

Neque enim natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere, & audacter aſſeritur. Tom. 9. Tract. 18. in Joan. Pag. 54. Viden' e Scripturis non finem, ſed proſeminationem litium enaſci? cur enaſcuntur? Quia Scriptura, etiam in rebus ad ſalutem neceſſariis, etiam in primariis fidei chriſtianæ myſteriis, Trinitatis v. g. & Incarnationis, dubia eſt, difficilis, & obſcura, unde & orbis in hisce in tam diverſas ſententias abiit. Id videamus.

Nonne primus ac fundamentalis fidei noſtræ articulus eſt: Deum eſſe unum in natura, & trinum in Perſonis. Eum tu proba

ſis

ſis e Scriptura. At ſeponamus infallibilem Eccleſiæ in Scripturis explicandis authoritatem, hæc enim tuo judicio fallibilis eſt; Unanimem conſenſum Patrum, quos tu homines appellare ſoles errori obnoxios; definitiones Conciliorum, Spiritus ſancti illuſtratione, ut ais, deſtitutorum; Venerabilem tot Sæculorum antiquitatem, conſpirantem: nam nova delectant. Mittamus vetera. Sola, ſola Biblia in medio noſtrum ſunto: ex his pugnemus; ex his eſſentiæ divinæ unitatem, & realem Perſonarum diſtinctionem evince. Tu Lutherum tuum, aut Calvinum, ego Sabellium agam. Primum pro Trinitate teſtimonium allegas ex libro Geneſeos: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. 1. v. 26. Conſultatio hæc eſt, non unius; ſed plurium, ergo trium divinarum Perſonarum. Falleris, inquit, Sabellius. Verbum pluralis numeri: *Faciamus*, non perſonæ varietatem; ſed in eadem perſona authoritatem multiplicem deſignat. Ita loquitur Romanus Cæſar: *Nos Dei gratia*: & tamen idem eſt in natura, & perſona Cæſar. In Magnatibus unus æquivalet multis. An non iſta argute & polite Sabellius? An non ad Magnatum genium iſta recte dicuntur? Quam lubentes huic explicationi ſubſcribent viri Principes, queis iſtæ loquendi formulæ familiares eſſe ſolent. At pergit Sabellius: Deus

his-

hisce verbis non modo monarcham, ſed artificem exhibet, qui in officina conſtitutus, & tyronibus præclarum ſtatuæ prototypon formaturus: Agite, inquit, ſtatuam faciamus exactam, & præclari operis. Ita Deus Pater, hominem opus manuum ſuarum Princeps editurus, non Filium, aut Spiritum ſanctum, ſed Angelos ſuos alloquitur: cum his de ortu hominis, uti cum eisdem de Achabi Regis interitu conſultat, teſte ſacra Regum hiſtoria 3. Reg. 22. v. 19.

Decurris ad alterum Iſaiæ teſtimonium *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus exercituum.* Iſ. 6. v. 3. & ais. Quid vox illa Sanctus tertio repetita, niſi ternarium perſonæ numerrm deſignat? quid vox illa tertium iterata, reponit Sabellius, indicat, niſi ſanctitatis excellentiam in natura & perſona eadem, non perſonæ pluralitatem? Etiam Sponſus Sponſæ ſuæ pulchritudinem dilaudans, & bis pulchram vocans: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Cant. 1. v. 15. Non in Sponſa ſua perſonam geminam, ſed decorem duplicem, hoc eſt, eximium agnoſcit. Adjectiva eadem, cur ſubſtantivis addantur ſæpius, id Grammatici & Rhetores norunt. Verſatilis eſt Sabellius, ante Politicum, nunc Rhetorem præclare gerit.

Tertio loco in ſubſidium vocas D. Joannis Evangelium: *In principio erat Verbum: &*

Ver-

Verbum erat apud Deum. Joan. 1. v. 1. Ecce τὸ *apud* distinctionem significat inter Verbum & Patrem. *Et Deus erat Verbum* Ecce τὸ *erat* essentiæ identitatem exprimit. Ergo habemus Trinitatis mysterium; ergo confecta res est. Noli mi Reformate, noli mi Evangelice triumphum ante victoriam canere. Tu paulo jam majora & subtiliora canis, eadem canet Sabellius: Particulam *apud* inter Patrem & Verbum distinctionem inferre concedet; sed distinctionem rationis, officii, connotati diversi, non realem, nec personæ. Quoties in ipsa Scriptura vox *Apud* sumitur pro rebus sola ratione distinctis? taceo plura loca: illud Jobi sufficiat: *Apud ipsum* (Deum videlicet) *est Sapientia & Fortitudo.* Jobi 12. v. 13. Sapientia vero ab Essentia divina quomodo distinguitur ex Theologorum placitis? nunquid sola ratione? alioqui in Deitate admittemus personalitates quinas, nempe Paternitatem, Filiationem, Spirationem, Sapientiam, & Fortitudinem: Imo tot habebimus personas, quot attributa divina. Joannes igitur dum scribit: *Verbum erat apud Deum*, innuit distinctionem non realem sed solius rationis. Quodsi urges: Pater in Scripturis dicitur mittere, & gignere, Filius autem mitti, & gigni. Ergo inter utrumque intercedit diversitas ratione distinguente major, Sequelam negabit Sabellius, & pro argumen-

gumento, & exemplo ſuo, eſſentiam opponet & proprietatem Metaphyſicam, rationale, & riſibile, dicetque juxta philoſophos; Eſſentiam ſive rationale, rationem habere emanantis, & riſibile rationem emanati & qualis inter hæc duo diſtinctio? nulla alia, niſi ſolius rationis. Ita quoque de patre & Verbo argumentatur & philoſophatur Sabellius, emunctæ naris homo.

Res tandem ad Triarios redit. Reſtat impetus ultimus ex D. Joannis Theologi epiſtola: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt.* 1. Joan. 5. v. 7. Sabelli, quid ad hoc? Times, expalleſcis? Sabellius ſtat metus omnis expers, & ſerena exporrectaque fronte reſpondet eſſe tres ſecundum officium, non perſonam. Ducatum duplicem tu manu geris: ignoras monetæ hujus aureæ pretium: interrogas de illa: quot ſunt imperiales. Reſpondet alter, ſunt imperiales quatuor. Quatuor ſecundum ſpeciem, formam, ſuppoſitum (cum philoſophis loquor) Imperialis? minime; ſed ſecundum pretium & valorem, & tamen propriiſſime ait alter, monetam hanc eſſe imperiales quaternos; quia videlicet unica illa tantum, quantum aliis quaternis emitur. Pergit Sabellius: Animam habes in corpore tuo, quæ creſcere te facit, ſentire, & intelligere. An ergo triplex in

corpore anima ? Certum eſt , eſſe unicam tantum , ſed quæ virtute & munere tergemino polleat. Leopoldus modernus Auguſtus, Comes eſt Tyrolis , Archidux Auſtriæ, Rex Bohemiæ, Germaniæ Imperator ; dignitas quadriformis in uno homine , in Principe unius naturæ & perſonæ. Ita quoque in Divinis , nec aliter philoſophandum eſt. Unus eſt Deus , una natura, una perſona, quæ eadem dicitur Pater , quatenus creavit omnia ; Filius quatenus redemit mundum ; Spiritus ſanctus , quatenus ſanctificat animas. Audin' Luthere ? Audin' Calvine ? Sabellius Doctorem Theologum agit, & ſubtilem. Tu clamas : Verbum *Tres* intelligi debet de triplici perſona : Sabellius reclamat : verbum *Tres* intelligi debet de triplici officio duntaxat. Tu jactitas : ego genuinum hujus Scripturæ ſenſum aſſequor. Sabellius jactitat iterum : certum eſt aberrare te , & me ſcopum attingere. Tu fingis : mihi Spiritus internus dictat , Spiritum ſanctum per D. Joannis calamum eloqui , Trinitatem perſonæ : Sabellius refingit : tuus Spiritus internus ater eſt, meus albus , qui mihi dictat ſolam officii diverſitatem. Tu calumniaris : Caudex eſt Sabellius, qui mecum non ſentit : Sabellius calumniam regerit : Stipes & truncus eſt Lutherus & Calvinus , qui ſenſum Scripturæ , facile & commode explicabilem , adverſus ipſa natu-

ræ, & Philoſophiæ totius principia detorquent: quæ principia? *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

Tu minaris, in extremo Judicii die eluceſcet, utrum noſtrum verum dixerit. Eho bone vir, nolim hujus veritatis graviſſimæ elucidationem ad judicii diem differri, jam jam enucleanda eſt, ut ſciam, pro quo veritas faciat, ut olim me Judex genuinæ, hoc eſt, ſuæ veritatis aſſeclam inveniat. Certe, ut ut cadat, Judex ſupremus non magis Sabellianum, quam Lutheranum ſuo calculo condemnabit: dicet enim Sabellianus Judici: Domine adhæſi magiſtro meo Sabellio, admodum rationabiliter, & juxta humanum ac uſitatum loquendi modum Scripturam explicanti; nec Lutherus quidquam rationis in contrarium protulit, niſi ſpiritum ſuum, cui non tenebar credere. En viri boni ſerram trahitis. Galli gallinacei eſtis, pugnantes ſemper, vincentes nunquam: ambo victorias veſtras canitis, ſinguli nullam. Pro Superi! pro Deum immortalem! credunt Lutherani, credunt Calviniſtæ Deum in eſſentia unum, in perſonis trinum, & hoc primum, maximum, ipſis pueris inſtillatum ac proinde notiſſimum fidei myſterium, ex Scripturis probare nequeunt. Labat igitur & collabeſcit penitus illud apud Acatholicos vulgatiſſimum axioma;

nihil credi debere, nisi quod Scriptura expresserit.

§. 3. *Evincitur, Ecclesiam agnosci debere pro Judice Controversiarum.*

REstat igitur, ut Ecclesia, hoc est, concilium, cum Pontifice, sit Judex controversiarum fidei: hæc enim est in suis declarationibus infallibilis, utpote (*columna & firmamentum veritatis*) 1. Tim. 3. 15. Sententiam pronuntiat clare, ut patet legenti canones Conciliorum Oecumenicorum: item de omnibus. Sic Concilium Apostolicum cum S. Petro diremit Controversiam de necessitate Circumcisionis: Actor. 15. Sic Concilium Alexandrinum a Sylvestro Papa confirmatum damnavit Sabellianos anno 314. Concilium Nicenum I. cum Legatis Sylvestri Pontificis condemnavit hæresin Arii anno 328. Concilium Ephesinum sub Cœlestino Papa judicavit & reprobavit Nestorium anno 431. & sic deinceps omnes fidei controversiæ omnibus sæculis per Ecclesiam sunt diremptæ. Recte Augustinus: *Ego vero Evangelio non crederem: nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas.* Tom. 6. contra Epistolam fundamenti. Cap. 5. & alibi. *Quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura sacra demonstrat.* Tom. 7. lib. cont. Crescent.

ſcent. Cap. 37. Imo Chriſtus: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Matth. 17. Hujus Eccleſiæ ſubſidio facile ego Catholicus refellam Sabellium, dicam enim loca citata ſcripturæ explicanda eſſe de Trinitate perſonæ, non officii, quia ſic explicat Eccleſia, cujus, & non privati alicujus hominis (qualis erat Sabellius) munus proprium eſt interpretari ſcripturam, & interpretari infallibiliter. Eccleſia autem cum D. Athanaſio proteſtatur: *Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia enim eſt Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti, &c.* Jam Sabellius debellatus eſt, qui ſine authoritate Eccleſiæ a nemine debellari poteſt.

Objiciunt adverſarii I. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Epheſ. 2. v. 19. Non autem Eccleſiæ. R. Per fundamentum intellige doctrinam Apoſtolorum, quæ partim in verbo ſcripto, partim in traditione continetur, quo utroque tanquam norma ſua utitur Eccleſia.

II. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum.* 2. Timoth. 3. v. 16. R. Aliud eſt utile, aliud ſufficiens. Cibus ad vitam hominis utilis, ſed præter cibum requiritur potus, ſic præter ſcripturam, traditio.

III. *Scrutamini Scripturas.* Joan. 5. v. 30. ℟. Sed non ſolas. Nam eodem capite Chriſtus, ut ſe probet eſſe Meſſiam, provocat ad teſtimonium Joannis, ſuorummet operum, æterni Patris, demum ſcripturæ; & quidni Catholicus agat bene, qui præter ſcripturam Eccleſiæ teſtimonium uſurpat?

IV. Si Eccleſiæ eſt declarare, an & quæ ſit Scriptura Canonica; ergo ſcripturæ pretium, & authoritas pendebit ab Eccleſia, adeoque hæc illa major erit. ℟. Pendebit quoad nos, non quoad ſe: ſuum quidem eſt gemmæ pretium, at nobis ignotum, niſi gemmarius valorem indicet. Chriſtus infans in ſtabulo Bethlemitico omni cultu digniſſimus erat, non tamen adorabatur a Paſtoribus, donec Angeli annuntiarant. Sic quoque Scriptura in ſeipſa eſt infallibile Dei verbum; tu tamen certo, & infallibiliter illud non cognoſces, niſi Eccleſia definierit, quinam ſint Canonici ſcripturæ libri, & quo ſenſu accipiendi. Nec eſt, quod idcirco Eccleſiam ſcriptura majorem fingas. Teſtificatur de Chriſto D. Joannes, Apoſtoli, Angeli, an ideo majores? minime.

V. Quid eſt Eccleſia? niſi Paſtor ſupremus, & ſubjecti Fideles, qui omnes ſunt puri homines, adeoque fallibiles? ℟. Si naturam ſpectes, ſunt puri homines, ſi munus autho-

authoritatemque, cadit in eos illud Davidis. *Ego dixi, Dii eſtis vos*, quia in rebus fidei mera loquuntur oracula, cum ſemper loquantur ore, & calamo Spiritus ſancti, qui Eccleſiæ continuo aſſiſtit & cum illa eſt usque ad conſummationem ſæculi, docetque omnem veritatem.

VI. Unde habet Eccleſia infallibilem decidendi poteſtatem? nonne ex ſcripturis? unde noſtri dari ſcripturas legitimas? nonne ex definitione Eccleſiæ. Ecce circulum perfectum. ℟. Eccleſia hanc decidendi poteſtatem habuit, antequam conderetur novum teſtamentum. Uti patet ex primo Concilio Apoſtolico, in quo de Circumciſione gentibus non imponenda decretum eſt, nullis adhuc Apoſtolorum ſcriptis extantibus. Hanc autem Eccleſiæ poteſtatem agnoſco tum ex Scripturis, tum ex Traditione, ad rem D. Irenæus. *Tantæ igitur oſtenſionis cum ſint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſime in eam contulerint omnia, quæ ſint veritatis: uti omnis, quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Quid autem, ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi*

assentiunt multæ gentes Barbarorum, quorum qui in Christum credunt, sine charta & atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, &c. lib. 3. Cap. 4.

SECTIO III.

De Capite Ecclesiæ, sive summo Pontifice.

§. *An sanctus Petrus fuerit Caput & Pastor primæ & Apostolicæ Ecclesiæ?*

FUit. Soli enim Petro dixit Christus: *Pasce oves meas*, Joan. 21. v. 17. Nonne & reliqui Apostoli erant oves Christi? Soli Petro dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 18. v. 18. Si tibi Hispanus Monarcha diceret: Tu eris fundamentum, cui totum Regnum Neapolitanum inniti volo, nonne his verbis te Regni Neapolitani Pro-Regem constitui agnoscerres? Ita & illis Christi verbis factus est Caput & Princeps Ecclesiæ, & Vicarius Christi. Talem agnovit Petrum Ecclesia prisca. Testis Hieronymus: *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto Schismatis tolleretur occasio.* lib. 1. in Jovinian. & S. Leo. *De toto mundo unus eligitur Petrus, qui & universarum gentium vocatione, & omnibus Apostolis cunctisque Eccle-*

siæ

ſiæ Patribus præponatur, uti quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit Chriſtus. Serm. 3. de aſſumpt. ſua ad Pontif.

Multa movent contra Primatum D. Petri Heterodoxi. Dicunt enim: *Super hanc petram.* Intelligi debere de Chriſto ipſo, vel de confeſſione, quam Petrus de Chriſto fecerat. Contra, ut video, remitti debes ad Rudimenta, & Grammaticam. Pronomen hic, hæc, hoc, demonſtrativum eſt, & referri debet ad id, cujus immediata, & non ad id, cujus nulla mentio eſt facta. Jam autem in propoſitione allata immediate memoratur & præcedit non Chriſtus, nec fides aut confeſſio Petri; ſed *Simon Barjona*, ſed *Petrus:* & eodem oris ſpiritu, mox additur: *& ſuper hanc petram.* Dic, age, ſi ita te alloquerer: Audi Petre (ſit hoc nomen tibi) tu es amicus meus integerrimus, & huic amico meo dono imperiales mille, dic, obſecro, patererisne hæc verba: & huic amico meo, de ullo alio explicari, quam de te ipſo? Movent deinde varia ex ſcripturis, queis æque parum erreri debes, v. g. 1. Chriſtum eſſe fundamentum Eccleſiæ, non Petrum, nam Chriſtus eſt fundamentum primarium, & independens, Petrus ſecundarium, & dependens a Chriſto. 2. Petrum obiiſſe, adeoque &

nunc corruiſſe fundamentum, nam obiit & Chriſtus ipſe; ſed hic & ille vivit in Romanis Pontificibus, qui ſunt ſucceſſores Petri, & Vicarii Chriſti. 3. Petrum eſſe miſſum ab Apoſtolis ad converſionem Samariæ; miſſus enim eſt prece, non imperio, uti Decanus a Capitulo, Conſul a civibus ad Cæſarem legatus mittitur. 4. Petrum eſſe reprehenſum a Paulo; reprehendere etiam poteſt inferior, modo ſit neceſſitas, & fiat cum debita modeſtia. 5. Petro eſſe commiſſum ſolum Apoſtolatum Circumciſionis; nam erat Apoſtolus & Paſtor Judæorum & Gentium, hinc convertit Cornelium Centurionem, Antiochenos, Romanos, &c. Apoſtoli enim avidi orbem totum cito ſubjicere Chriſto, diviſere ſibi provincias, & Petrus principio incubuit in ſalutem Judæorum, populi, inquam, electi, quia horum converſio fuit munus præcipuum. 6. Apoſtolos poſt illa Chriſti verba, *Tu es Petrus*, adhuc contendiſſe de primatu. ℟. Non intellexerunt Chriſti verba, ut & plura alia, niſi poſt acceptum Spiritum ſanctum. Deinde contendebant de primatu in cœlis, qui confertur non digniori, ſed ſanctiori. 7. Apoſtolos etiam dici fundamenta, eſſeque miſſos ad orbem univerſum. ℟. At cum ſubordinatione, & ſubjectione ad Petrum. Si quæris, ubi hæc ſubjectio exprimatur? ibi, ajo, ubi Petrus ſolus dicitur fundamentum totius Eccleſiæ,

cleſiæ, & Paſtor omnium ovium. Quæ loca Patres & Eccleſia ſemper de Primatu Petri ſuper omnes intellexerunt: cum his tu ſape, ni velis deſipere: horum judicium eſt infallibile; non tuum.

§. 2. *Aſſeritur Petrum vixiſſe Romæ.*

QUod S. Petrus habitarit Romæ, teſtatur ipſemet: *Salutat vos Eccleſia in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* 1. Petr. 5. Quænam eſt Babylon illa, ubi Epiſtola hæc data eſt? Reſpondet D. Hieronymus: *Petrus in Epiſtola prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificat*, in lib. de vir. illuſtr. in Marco. Adverte autem vocari Babylonem Romam urbem Ethnicam, non autem Romanam Eccleſiam, quam S. Joannes merito nominat: *Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo.* Apoc. 21. v. 2. Præterea, nos credimus Romæ occiſum eſſe Julium Cæſarem, quia id refert Tacitus, cur non credamus Petrum habitaſſe Romæ, ibidem mortuum; cum plurimi antiquiſſimi, ſanctiſſimi, ſapientiſſimique Patres id aſſerant. Certe Jodocus Coccius fere ducenta eorundem teſtimonia recitat: nobis unus S. Hieronymus ſufficiat: *Simon Petrus, ad expugnandum Simonem Magnum, Romam pergit, ibique 23. annis cathedram Sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum, id eſt, decimum quartum Neronis annum, a*

quo

quo & affixus cruci, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo. In l. de vir. illuſtr. in Petro.

Quodſi opponas, Scriptores Ethnicos Suetonium, Tacitum, nihil meminiſſe de Petro, ajo, ab authoritate negativa non valere argumentum; ajo, mihi pluris eſſe tot chriſtianos Scriptores Romanam Petri manſionem diſerte affirmantes, quam Ethnicos eam diſſimulantes. Nam & hi nihil meminere de Chriſto; nec de Chriſtianis volebant ſcribere, quos ſciebant Romanis Cæſaribus exoſos. Quodſi producas & Paulum, qui Epiſtolam ad Coloſſenſes exaravit Romæ, & in fine eosdem ſalutat nomine Ariſtarchi, Marci, Epaphæ, non autem Petri, ajo, tum temporis Petrum Roma diſceſſiſſe, ad alibi diſſeminandum Evangelium, quod faciebat ſæpius teſte Epiphanio hæreſi 27. relictis Romæ Vicariis ſuis Lino, & Cleto, qui iſthic, abſente Petro, munia Epiſcopalia curabant.

§. 3. *Quis fuit Succeſſor S. Petri in primatu Eccleſiæ?*

NEmo alius, quam Romanus Pontifex, nam ſupremam D. Petri poteſtatem in Eccleſia permanere, ob vitanda ſchiſmata, & conſervandam unitatem neceſſarium erat: hæc autem in nullo alio permanſit, quam in Romano Pontifice, quem omnium ſæculorum fide-

fideles pro capite totius Eccleſiæ agnoverunt. Hinc D. Hier. ad Damaſum Papam ſcribens inquit: *Cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior.* Epiſt. ad Damaſum Papam. S. Auguſtinus: *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Tom. 2. Epiſt. 162. S. Athanaſius: *Ideo Pater beatiſſime* (alloquitur Felicem II. Papam Romanum) *quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos a veſtra Apoſtolica ſancta Sede auxilium hauſimus, & noſtri vos curam habere agnovimus, præfatam Apoſtolicam, ſummam expetimus juxta Canonum decreta Sedem: ut inde auxilium capiamus, unde anteceſſores noſtri ordinationes, & dogmata & ſublevationes ceperunt. Ad eam quoque quaſi ad matrem recurrimus, ut ejus uberibus nutriamur.* Epiſtola ad Felicem Papam. Ita teſtatur S. Athanaſius Eccleſiæ Græcæ Doctor & Patriarcha Alexandrinus: ita cum eodem ſentit priſca & ſancta Eccleſia. At quid ſectarii noſtri? Calumniantur Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum; cum tamen facile norint Antichriſtum eſſe unum hominem ſingularem, non ſeriem tot Pontificum, nec venturum niſi Romano Imperio debellato; annis duntaxat tribus & medio regnaturum; occiſum ab eo iri Enochum & Eliam; venditaturum ſe pro Meſſia, pro Deo ipſo,

non

non pro ſolo ejus Vicario, &c. Hæccine cadunt in Pontifices Romanos, quorum multi viri fuere ſanctiſſimi ?

Fingunt Joannem VIII. qui ſedit anno Chriſti 850. fuiſſe fœminam, ut ſic Pontificem plebis ludibrio exponant. Fabulæ hæ ſunt, non aniles modo, ſed etiam malitioſæ, quas tu refutatas invenies apud Onuphrium, Baronium, Bellarminum, Cotonum, Scherærum, plures alios : mihi hoc unum dixiſſe ſatis eſt : cum Joanne VIII. aut paulo poſt eum vixiſſe Scriptores varios, & luculentos, Anaſtaſium, Adonem Viennenſem, Rheginonem, Lambertum, &c. imo complures Romanæ Sedi ſat inſenſos, nempe Ravennatem, Methodium Illyricum, Hincmarum, Zonarum, Nicetam, qui tamen omnes hujus fabuloſæ Papiſſæ, nec verbo meminerunt. Primus, qui hanc fabulam protruſit, fuit Martinus Polonus, Monachus Ciſtercienſis, homo ſimplex, & indoctus, cujus libri pluribus aliis erroribus ſcatent, & qui quadringentis poſt Joannem VIII. annis vixit ſcripſitque : ille talis ſcriptor plus fidei mereatur, quam tot graves authores veteres ? Ogganniunt : ipſimet Patres priſci inter ſe diſſident de primo Petri ſucceſſore, cum alii Clementem, alii Linum, deinde Cletum ſucceſſiſſe velint. At Patres optime inter ſe conciliantur. Attendatur, quod Epiphanius refert,

D.

D. Petrum quidem ante mortem ſuam commiſiſſe Sedem Clementi, qui tamen ex Chriſtiana ſubmiſſione Eccleſiæ regimen ſuſcipere noluit, quamdiu vixere Linus, & Cletus, qui etiam vivente Petro ejus Vicarii ſubinde extiterant.

SECTIO IV.

De Scriptura ſacra.

§. 1. *Quinam ſint libri Canonici?*

HOs tu pro Canonicis Scripturæ libris habeto, quos Eccleſia ſemper pro Canonicis habuit. Rogas quinam illi? illi, inquam, quos pro talibus ducenti octodecim Patres, in Concilio Carthaginenſi III. (cui etiam interfuit S. Auguſtinus) pro talibus agnoverunt: *Item placuit, ut præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur, ſub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, JEſu Nave, Judicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job, Pſalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim Prophetarum, Eſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Eſther, Eſdræ libri duo, Machabæorum libri duo: Novi autem Teſtamenti, Evangeliorum libri quatuor, Actuum Apoſtolorum liber unus, Pauli Apoſtoli Epiſtolæ tredecim, ejus-*

dem

dem ad Hebræos una, Petri Apoſtoli duæ, Joannis Apoſtoli tres, Judæ Apoſtoli una, & Jacobi una, Apocalypſis Joannis liber unus. Concil. Carth. III. cap. 47. Primus, qui hunc Canonem legitime definivit anno Chriſti 402. fuit Innocentius Papa I. Epiſt. 3. ad Exuper. c. 7. eum ſecutus eſt Auguſtinus Tom. 3. lib. de doctrin. Chriſt. c. 3. cum Epiſcopis Africæ in Concilio Carthaginenſi jam citato. Tum Gelaſius, cum Concilio Romano habito circa annum Chriſti 494. Tom. 2. Concil. part. 1. pag. 500. & deinceps Eccleſia tota. Lutherus tamen & Calvinus a ſententia Eccleſiæ, jam per mille & amplius annos definita ac recepta diſceſſere, atque ex Canone veteris Teſtamenti expunxere Tobiam, Judith, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Baruch, & Machabæos; Lutherus inſuper ex novo rejecit Epiſtolam ad Hebræos, Jacobi, Judæ, Apocalypſin. Hic interrogo ego: Lutherus & Calvinus, in qua poteſtate hæc faciant? privata. Hac eadem ego quatuor Evangelia repudiaturus ero. Et cur mihi non liceat, quod illis? Illi habuere cauſas, inquis, tu nullam. Quas cauſas? etiam Judæi, inquis, hos libros in Canone ſuo non habent, Tobiam, Judith, &c. Ergo tibi potior ſit Judæorum Canon, quam Eccleſia nulli errori obnoxia? non ita Auguſtinus: *Machabæorum libros non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet.* Tom. 5. lib. 18.

18. de civit. Dei. cap. 36. pag. 216. Nec post Augustinum Isidorus: *Hebræi non recipiunt libros Tobiæ, Judith, & Machabæorum: Ecclesia tamen eosdem inter Canonicas Scripturas enumerat.* In Proëm. de libris vet. & novi Testam. At, inquit, senserit ita D. Augustinus, & Isidorus; certe tamen patres censuere contrarium. Dico, sensisse quidem ante declarationem factam ab Ecclesia, ea autem semel facta, nemo unus dissensit. Cur tu igitur eandem non sequeris? cur Ecclesiam de Scripturis legitimis pronuntiantem non audis, quam ex promissione Dei infallibilis Spiritus S. assistentia suffulcit in omnibus. Repudias hic illam? Eandem quoque in Trinitatis Mysterio repudia, ac tum hoc, sine Ecclesia, si potes, contra Sabellium evince. Infero Acatholicos non esse infallibiliter certos, utrum scriptura penes illos sit, & quo sensu intelligenda: unde enim illis hæc certitudo? Non ex judicio Ecclesiæ, quam contemnunt; non ex traditione, quæ apud illos nulla est; non ex judicio proprio suo, aut suorum prædicantium, quod humanum est, & erroris capax, ac sæpe discors: non demum ex efficacia ipsiusmet scripturæ, quam dubio procul omnes eam legentes experiri deberent; adeoque quivis dum scripturam volvit, certo agnoscet, quinam libri sint vere divini, qui apocryphi. Quid igitur causæ, quod Luthe-

rus Jacobi Epiſtolam ut ſtramineam irrideat, eam ut divinam amplectatur Calvinus? Dicet hic, ſe eam legere animo melius præparato; idem dicet alter: cui credemus? neutri. Neuter enim quidquam de Bibliis ſuis certum & ſecurum habet.

§. 2. *Utrum Scriptura ſacra ſit clara?*

OBſcura hæc eſt in multis, etiam quæ creditu neceſſaria ſunt ad ſalutem. Hinc Eunuchus Candacis Reginæ fatebatur, ſe non poſſe intelligere locum Iſaiæ de occidendo Chriſto. Actorum 8. v. 31. Et S. Petrus teſtatur de Epiſtolis D. Pauli: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* 2. Pet. 3. 16. Opponunt adverſarii: Scriptura ſeipſam appellat lucernam, facem, &c. ergo clara. Repono ego: Lucerna eſt iis, qui in cognoſcendo ejus ſenſu, ſenſum Eccleſiæ; at iis, qui ſuum duntaxat ſequuntur, mera eſt caligo. Quid clarius Sole? Et tamen, quam ſæpe ſub nube latet, & ita, ut ubi lateat, neſcias. Ita veritates divinæ ſub troporum & allegoriarum involucris obnubilantur.

Producunt illud Pauli. *Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum; in iis, qui pereunt, eſt opertum.* 2. Cor. 4. v. 3. Verum Paulus loquitur de Evangelio non ſcripto, ſed

ſe

ſe prædicato ; tam enim clare & ſolide Chriſtum prædicavit, ut nemo ſanæ mentis poſſit prædicationi factæ fidem abnuere.

Movent : inuri notam Scripturæ, dum obſcura dicitur, quaſi fovea ſit, in quam præceps erat humanum genus. R. Difficilia, quæ pulchra. Hæc eſt theſauri dignitas, quod inveſtigetur, & ſcientiæ præſtantiſſimæ, ſunt maxime reconditæ. Nec eſt, quod in foveam cadas, modo Eccleſiam ducem ſequaris.

Ajunt, Moyſen repugnare Scripturæ obſcuritati : *Mandatum hoc .... non ſupra te eſt.* At Moyſes non loquitur de Scriptura tota, ſed de ſolo Decalogo, cujus præcepta facile cognoſci queunt, cum ſint ipſis hominum animis ab authore naturæ impreſſa.

§. 3. *Utrum Scriptura ſacra a quovis legenda ſit ?*

DIco I. Neminem obligari, ut Scripturam legat in idioma vernaculum translatam : nam multæ gentes converſæ ſunt, antequam teſtamentum novum extaret, aut certe cum ſolis tribus ſacris linguis ſcriptum haberetur. Quo pacto igitur. Teuto aliquis aut Gallus, harum linguarum imperitus, tum temporis biblia legere teneretur, quæ intelligere non poterat ?

Dico II. Licitum eſſe legere biblia Hebraica, Græca, vel Latina, unde & a Sanctis

Patribus ejusmodi lectio suasa fuit, sed iis, qui erant capaces, & qui judicium suum judicio & interpretationi Ecclesiæ parati erant subjicere.

Dico III. Biblia Gallica Calvini, & Germanica Lutheri, quia sunt depravata, nemini legere permissum esse sine speciali ad id facultate: Germanica tamen Eckii, Dietenbergii &c. a Catholicis Germanis tuto legi, quia Episcopi ad id tacitum consensum præbuisse videntur.

Dico IV. Laicos rudes & indoctos satius a Scripturis legendis abstinere, tum quia Pius V. in indice librorum prohibitorum ita jussit; tum quia legunt frustra, cum non intelligant, quæ legunt; imo periculose, cum ob ruditatem suam facile in errorem induci queant, in quem sæpe etiam homines doctos induci videmus.

SECTIO V.

De Sacramentis in genere.

SAcramentum novæ legis est signum visibile & externum a Christo institutum, quod in anima gratiam & sanctificationem operatur: nam verba Sanctorum Patrum de Sacramentis ostendunt illa, non solum esse signa gratiæ, sed etiam gratiam ipsam operari.

Sa-

Sacramenta novæ legis non ſunt tantum duo, cœna Domini & Baptiſmus, uti docet Lutherus: nec tria tantum, Baptiſmus, cœna Domini, & ordinatio, ut aſſerit Calvinuus: ſed ſeptem, nempe Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium: ſiquidem hæc ſeptem ſunt ſigna operativa gratiæ, & pro Sacramentis ſemper per continuam traditionem in Eccleſia ſunt habita, ut patet ex Concilio Tridentino Seſſione 7. Canone 4. & Florentino in Inſtitut. Armen. & ex verbis Lucii III. Romani Pontificis. *Univerſos, qui de Sacramento corporis, & ſanguinis Domini noſtri JEſu Chriſti, vel Baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, Matrimonio, & reliquis eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentire, aut docere non metuunt, quam ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſervat, vinculo perpetui anathematis innodamus.* lib. 5. Decret. Tit. 7. de Hæret. cap. *Ad abolendum.*

Nec tu mihi dicas: proba ex Scriptura dari ſeptem Sacramenta; nam & ego dicam tibi: proba ex Scripturis dari tantum duo. Imo in Scripturis, nec Baptiſmus, nec Euchariſtia, vocatur Sacramentum; ſed ſolum Matrimonium, qua fronte tu igitur Matrimonium e numero Sacramentorum eliminas?

SECTIO VI.

De Baptiſmo & Confirmatione.

PArvuli ſunt baptizandi. Ita docet Auguſtinus. *Noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur, morte præventos pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Tom. 7. lib. 3. de origine animæ, cap. 9. Et alibi: *Quisquis dixerit, quod in Chriſto etiam vivificabuntur parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto omnino vivificari non poſſe.* Tom. 2. Epiſt. 20. ad Hieron. Idem docent Chriſti verba: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Joan. 3. v. 5. Ecce Chriſtus loquitur univerſaliter, nec excipit parvulos. Parvuli, dum baptizantur, non habent fidem actualem, ut ſtulte opinantur Lutherani; cum actualiter credere ſit exercitium & uſus rationis, qui, teſte quotidiana experientia, non eſt in parvulis.

Confirmatio eſt Sacramentum: nam Unctio externa chriſmatis, per gratiam Spiritus ſancti, roborat animam in fide ſemel ſuſcepta. Nunquid ipſi Apoſtoli, Scriptura teſte: *Impo-*

ponebant manus ſuper illos (baptizatos) *accipiebant Spiritum ſanctum*? Actor. 8. v. 12. Ubi prædicantes Lutherani & Reformati imponunt baptizatis manum? cur negligunt morem Apoſtolicæ & primitivæ Eccleſiæ? Audi Tertullianum: *Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta Unctione.* lib. de Reſurrect. carn. Et paulo poſt: *In nobis carnaliter currit Unctio; ſed ſpiritualiter proficit.* Et iterum paulo poſt: *De hinc manus imponitur per benedictionem adorans & invitans Spiritum ſanctum.* Ib. loco cit. Audi & D. Auguſtinum: *Sacramentum chriſmatis .... in genere viſibilium ſignaculorum* (id eſt, Sacramentorum) *ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Tom. 7. lib. 2. cont. litt. Petiliani, cap. 104. pag. 112.

SECTIO VII.

De Euchariſtia.

§. 1. *De præſentia Chriſti in Euchariſtia.*

CHriſtus in Euchariſtia eſt realiter & ſubſtantialiter præſens. Ita imprimis teſtatur D. Paulus: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt, & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* 1. Cor. 10. v. 16. Quæ D. Pauli verba ita interpretatur Chryſoſtomus: *Id, quod eſt in calice, eſt id, quod fluxit e latere, & illius ſumus participes.* Tom.

8. Hom. 24. in 1. ad Cor. pag. 532. Idem testatur Christus ipse: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Joan. 6. v. 19. Nota bene particulam *Vere.* Et iterum: *Hoc est corpus meum.* Luc. 22. v. 19. Quæ verba Christus pronuntians, & panem manu tenens, debuit necessario panem vertere in corpus suum, ne mentiretur: sicut a principio mundi tenens manu limum terræ, & inde jubens fieri hominem, illico e limo factus est homo, ne scilicet Deus fieret mendax. Similiter Christus, accepto calice, dixit: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Matth. 26. v. 28. in græco textu apud Sanctum Lucam habetur: τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Hoc poculum, quod pro vobis effunditur.* Quæro ex te, quid effusum est in cruce? Vinum, quod esset figura sanguinis, an sanguis ipse? certe sanguis ipse, Christus autem ait, id esse in poculo sive calice, quod pro nobis effundendum erat in cruce. Ita de Eucharistia loquitur Scriptura sacra: quid autem Ecclesia prisca? Quid antiqui Patres? Audi Concilium Nicenum I. *In divina mensa ne humiliter intenti simus, ad propositum panem & poculum, sed attollentes mentem, fide intelligamus, situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum,*

latum, & pretiosum ipsius corpus & sanguinem nos vere sumentes, &c. lib. 2. cap. 30. de divina mensa. Pulchre & clare S. Ambrosius: *Tu forte dicis, meus panis est usitatus, sed panis iste, est panis ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi .... Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum? Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia, jussit Dominus, & factum est cœlum, jussit Dominus, & facta est terra, jussit Dominus, & facta sunt maria, jussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini JEsu, ut incipiant esse, quæ non erant; quanto magis operaturus est, ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Ergo, tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem, dico tibi, quod jam est corpus Christi.* Tom. 4. lib. 4. de Sacram. cap. 4. Æque clare D. Cyrillus: *Cum omni certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur tibi corpus Christi, & sub specie vini, datur tibi sanguis, ut sumpto corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis. Christophori erimus, hoc est Christum ferentes, cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra rece-*

perimus..... Hoc certo sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi; & vinum, quod a nobis conspicitur, tametsi sensibus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed esse sanguinem Christi. Catech. 4. Mystagog. Consentit. D. Augustinus: *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum, ferebat illud in suis manibus.* Tom. 8. Conc. 1. in Ps. 33. pag. 83. Quodsi hodie hi Patres reviviscerent, non possent veritatem Catholicam de Christo in Eucharistia substantialiter præsente clarius eloqui. Et ita credidit Ecclesia tota, usque ad Berengarium, qui circa annum Christi 1050. veritatem corporis in Eucharistia negavit: sed a variis Conciliis, Romano, Vercellensi, Turonensi, damnatus resipuit, ac sub finem vitæ sic protestatus est: *Hodie apparebit mihi Dominus, ad meam salutem, ut spero, propter pœnitentiam, aut ad damnationem, ut timeo, propter eos, quos mea prava doctrina decepi.* Gerson. serm. in cœna Dom. & part. 4. alphab. 69. lit. Q.

§. 2. *Solvuntur argumenta Calvini & assectarum ejus.*

1. HÆc Christi verba: *Hoc est corpus meum*, debent sumi figurate, non proprie, ut

ut ſenſus ſit: Hic panis eſt ſignum corporis mei. Ita ais, Calvine, ſed qua authoritate tu particulam *Eſt* in hac propoſitione ſumis pro *ſignificat;* qua, inquam, authoritate? Tua? hæcne Eccleſiæ univerſæ præponderat? cur Eccleſiæ judicium rejicis in myſterio Euchariſtiæ, ſine quo in myſterio Trinitatis nihil evincere potes contra Sabellium? Admittis in uno, cur non & in altero? An neſcis inſtitutionem Euchariſtiæ eſſe Teſtamentum Chriſti? Quis autem verbis figuratis ſcribat teſtamenta? Quis parens legans filio domum, vineas, hortos, deſignet tabellam, in qua hæc depicta ſint? Quis Rex magnam vim pecuniæ ſubdito pollicens, pecunia picta ſatisfaciat? & credemus Chriſtum, qui carnem ſuam in cibum nobis ſpopondit, poſtea teſtamento non niſi carnis figuram reliquiſſe? Nonne hoc eſt Chriſtum illuſorem facere? An non & commune axioma eſt inter Scripturæ interpretes: Non eſſe abeundum a ſenſu proprio verborum, niſi aliud ſuadeat evidens neceſſitas? quæ illa?

II. In hisce propoſitionibus: *Ego ſum vitis. Ego ſum oſtium. Petra erat Chriſtus.* Copula ſumitur figurate, ergo & in hac: *Hoc eſt corpus meum.* Qualis obſecro conſequentia? In illis Eccleſia intelligit copulam pro ſignificat, non in hac, & ratio eſt: quia in propoſitionibus allatis ſubjectum & prædicatum ſunt omnino

nino disparata, nempe Christus & vitis, &c. Unde sic debent explicari: Christus est res significata per vitem &c. In hac autem propositione: *Hoc est corpus meum*, subjectum & prædicatum a parte rei sunt plane idem; uti & in illa oratione æterni patris: *Hic est filius meus dilectus.* Matth. 3. v. 27. Dices, τὸ *Hoc* significat panem, demonstrat enim id, quod præsens est, quando pronuntiatur. Respondeo. Τὸ *Hoc* non demonstrat panem, sed confuse corpus Christi, quod in prædicato clare exprimitur. Neque obstat, quod corpus Christi nondum sit præsens, dum pronuntiatur pronomen *Hoc:* nam propositiones verificantur, quando ultimis verbis prolatis ita res se habet, uti enuntiatur v. g. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Joan. 15. v. 12. Quod maxime verum est in propositionibus practicis & effectivis, qualis est hæc: *Vade, filius tuus vivit.* Joan. 4. v. 50. item hæc: *Hoc est corpus meum*, quæ Christi corpus statuit sub speciebus panis, quamprimum prolata est ultima syllaba pronominis *meum:* adeoque sensus horum verborum est iste: Hæ species sunt id, quot continet corpus Christi.

III. *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine. Testamentum* sumitur pro figura testamenti: Sanguis enim non est proprie testamentum, ergo etiam Christus figurate locutus

cutus est, cum dixit: *Hoc est corpus meum.* ℟. Testamentum hic accipi proprie, nempe pro instrumento authentico, quo continetur voluntas testatoris, aut quo hæredi applicatur jus ad hæreditatem promissam. Eucharistia enim applicat nobis jus ad hæreditatem cœlestem, quam nobis per Filium Pater æternus promisit. Unde patet, celebrationem Eucharistiæ esse repetitionem testamenti a Christo facti, ad quam non requiritur nova ejusdem mors; cum mors testatoris necessaria sit ad testamentum primo sanciendum, non vero ad repetendum.

IV. Christus ipse dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ergo est sola corporis commemoratio. ℟. Intellige tu hæc verba, uti Paulus: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* 1. Cor. 11. v. 26. Aliud est mors Domini, aliud corpus Domini: illius, non hujus, nisi ut mortui commemoratio est Eucharistia. Sic Rex ipse in annuo triumpho potest repræsentare victoriam a se obtentam.

V. *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Joan. 6. v. 63. ℟. 1. Caro Christi, si esset caro puri hominis, nihil prodesset; at quia unita est Deo, qui est spiritus, & vita; hinc vivificat. ℟. 2. Crassi Capharnaitæ putabant Christi carnem esse comeden-

dendam instar carnis in macello emptæ, coquendam, scindendam &c. cum Christus vellet eam comedi vere quidem, sed modo invisibili. Erroneum igitur judicium horum Capharnaitarum vocat Christus *Carnem*, non corpus suum; veram autem intelligentiam suorum verborum vocat spiritum. Sic Paulus: *Prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus vita & pax.* Rom. 8. v. 6. Ad rem D. Chrysostomus. *Quid est, caro non prodest quidquam? non de ipsa carne dicit abfit: sed de his, qui carnaliter accipiunt, quæ dicuntur.* Tom. 7. Hom. 46. in Joan. pag. 241.

VI. Scriptura sæpe vocat Eucharistiam panem. ℟. 1. Est panis de cælo descendens, non coctus in furno: consecratione enim facta sola accidentia remanent, & sub his Cristus, non substantia panis. ℟. 2. Nomine panis sæpe intelligit scriptura omnis generis cibos. 1. Reg. 14. v. 24. Ps. 135. v. 25. Matth. 15. v. 2. Marc. 3. v. 20. Jam autem Eucharistia est vere cibus animæ.

VII. Christus consecratum calicem vocat *genimen vitis.* Matth. 26. v. 29. ℟. Pervolve diligenter cap. 22. Lucæ, videbis a Christo Discipulis propinatum esse calicem duplicem, unum dum comederetur agnus paschalis, alterum dum instituit Sacramentum: primum, non secundum vocat Christus *genimen vitis.* Nec refert Matthæum meminisse tantum

unius

unius calicis, nam varia sunt, quæ ab uno Evangelista narrantur, & ab altero tacentur.

VIII. Impossibile est idem corpus existere in diversis locis. ℟. Id possibile judicat Philosophia, & Scriptura: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Luc. 1. v. 37. Et Symbolum Apostolorum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Deinde teste Scriptura Christus manet in cœlo usque ad diem judicii, & tamen *apparuit* D. Paulo *in via*, dum iret Damascum. Actor. 9. v. 17. ergo tum erat in duobus locis. Denique argumentor a pari: Deus posuit duo corpora in eodem loco, ingressus ad Apostolos januis clausis, egressus sepulchrum immoto lapide, ergo & idem corpus potest constituere in diversis locis. Bene exclamat D. Chrysostomus: *O Dei benignitatem! quid cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur.* Tom. 4. lib. 3. de Sacerd. c. 4.

IX. Indignum est, Christum tractari manibus impuri Sacerdotis. ℟. Nunquid gestatus est & portatus ab ipso dæmone? Matth. 4. v. 5. Nunquid & indignum est Deo, crucifigi inter latrones? & tamen ista persuasit Deo ejus in nos charitas. At instas. Saltem Christus comederetur sæpe a muribus, iret in secessum, &c. ℟. Ista non Christo, sed solis speciebus eveniunt, quæ dum corruptæ sunt, desinit esse præsens Christus, & substi-

tui-

tuitur a Deo materia nova, in qua fit nutritio, & similes actiones naturales.

X. Non possum capere, quomodo vir perfectus latere possit sub parva hostia. ℟. Potesne capere mysterium Incarnationis, Trinitatis? Potesne penetrare vim attractivam in magnete, fluxum & refluxum maris, artificium oculi vel unius muscæ, & plura alia, non dico fidei, sed naturæ mysteria: *Demus*, inquit Augustinus, *Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis.* Tom. 2. Epist. 3. ad Volus. pag. 5. Et D. Paulus: *Deus potest omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* Ephes. 3. v. 10. At sensus nihil vident, nihil gustant nisi panem. ℟. *Beati, qui non viderunt & crediderunt.* Joan. 20. v. 29. unde & verba consecrationis calicis ita habent: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti: Mysterium fidei.* Hæc jam sunt argumenta, queis realem Christi præsentiam in hoc Sacramento oppugnant Calviniſtæ, quæ obsecro, quam sunt futilia? quam facile solvuntur a Catholicis? Æstimet nunc quivis prudens, an recte Calvinus egerit, quod mysterium tot sæculis ab Ecclesia creditum, tam claris verbis a Scriptura revelatum (quam triumpharent Calviniſtæ, si tam manifesta testimonia opponere nobis possent, ac nos illis) tot miraculis a Deo confir-

ma-

matum, tot libris a priſcis Patribus explanatum, ille nullo alio, quam novitatis ſpiritu ductus, convellere ſit auſus. Ego ſane novitates execror, & cum priſcis facio, atque uti vetus vinum, & moneta vetus, ſic & fides antiqua placet.

§. 3. *An quivis ex præcepto Chriſti teneatur ſumere Communionem ſub utraque ſpecie?*

ECce tibi lapidem offenſionis, in quem impingunt omnes ſectarii moderni. Calicem exigunt cuivis laico debitum; ſed ut eluceſcat, quam parum æqua ſit poſtulatio, placuit in modum colloquii, inter Acatholicum & Catholicum habiti, controverſiam præſentem dirimere.

Acatholicus. Vos Papiſtæ atrocem plebi chriſtianæ injuriam facitis, quod ei calicis uſum negetis, quem Chriſtus omnibus conceſſit & præcepit, dum dixit: *Bibite ex hoc omnes.* Matth. 27. v. 27. Catholicus. Ex hisce verbis rationem præcepti tu nunquam deduces: nam imprimis verbum *Bibite* ſenſum habere poteſt *Præcipientis*, vel etiam *Invitantis.* E. C. Hoſpes aliquis aut Paterfamilias convivis ac domeſticis ſuis ſanitatem Cæſaris præbibit, ac inquit: *Vos quoque omnes ſanitatem Cæſaris bibite.* Hæc verba, ſuntne continuo præceptum aliquod, an potius amica invitatio? Ita & Chriſtus ait: *Bibite*, nec

propterea mandat, ſed invitat. A. Manda utique. C. Unde certus es, eum eſſe hic hujus verbi ſenſum? non ex ſpiritu tuo privato, quem ego jure nihili facio; non ex ipſo verbo *Bibite*, quod duplicem ſenſum patitur; unde ex hoc ipſo verbo unum duntaxat & determinatum nemo elicere poteſt: multo minus ex judicio Eccleſiæ, quæ ſemper aſſeruit, ſibi liberum fuiſſe, ut calicem laicis permittat, vel non. Deinde dixerit per modum præcipientis; at pronomen *omnes* quos comprehendit; omnes omnino homines? Ergo etiam infantes & abſtemios? A. Non illos, ſed adultos rationis uſu pollentes. C. Ita tu ais; ſed qui probas? Ego particulam *omnes* concernere aſſero ſolos Apoſtolos præſentes, præſertim cum D. Marcus addat: *Et biberunt ex illo omnes*. Marc. 14. v. 23. eorumque ſucceſſores Sacerdotes & Epiſcopos. Tu, ſiquid vales, oſtende ex ſcripturis aliud. A. Subibant Apoſtoli vicem omnium Fidelium; nam verum eſt: *Quod autem vobis dico, omnibus dico*. Marc. 13. v. 37. C. Jam artem exerces tuam, quæ eſt, ſcripturam citare & interpretari perperam. Chriſtus cum dixit: *Quod autem vobis dico, omnibus dico*, addidit: *Vigilate*: Vigilare utique eſt omnium: participare autem calicem non eſt omnibus imperatum. A. Recurro ad textus alios. Quid dices ad iſta Chriſti verba: *Hoc facite*

in

in meam commemorationem? An non hoc imperare est? C. Recurre ad Scripturam, videbis Christum hæc verba protulisse post institutum panem, non calicem: si ergo est imperium obstringens omnes, de Eucharistico pane, non sanguinis poculo illud intellige. A. Saltem de utroque accipienda sunt verba Pauli: *Dominus JEsus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* 1. Cor. 11. v. 24. Adverte bene, Paulum ista verba, *Hoc facite*, non solum pani, sed etiam calici Eucharistico apposuisse. C. Appositit. Verum longe alia ratione; nam de pane absolute inquit: *Hoc facite;* de calice autem: *Hoc facite quotiescunque bibetis*, id est, si biberitis, mortem annuntiabitis. Quæ conditionata loquendi formula nequaquam explicitum & absolutum bibendi imperium infert. A. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Joan. 6. v. 54. En quanta bibendi necessitas? Quam male igitur Catholici plebem christianam privant sanguine Christi, & Sacramentum non præbent, nisi mu-

tilum. C. Nos Catholici ſub una ſpecie plus damus, quam vos Acatholici ſub utraque. Vos enim Calviniſtæ nil niſi ſignum corporis & ſanguinis; vos Lutherani ſub pane ſolum corpus, ſub vino ſolum ſanguinem præbetis. Ubi ergo manet anima? Lutheranis non datur, niſi Chriſtus mortuus. Nos autem Catholici docemus ſub ſpecie panis, vi verborum conſecrationis, poni corpus Chriſti, non mortuum, ſed vivum (*Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, jam non moritur.* Rom. 6. v. 9.) ac per concomitantiam poni ſanguinem, & animam Chriſti. Similiter ſub ſpecie vini, vi verborum ſtatui credimus ſanguinem Redemptoris, & quia ſanguis ille conjunctus eſt cum vivo corpore, per conſequens & corpus adeſt & anima. Eſt itaque Chriſtus totus in hoſtia, & totus in calice. Et quisquis vel ſolam hoſtiam ſumpſerit, eum & corpus percepiſſe & ſanguinem neceſſe eſt: uti lac maternum infantibus cibi & potionis loco eſſe conſuevit. A. Hæc tu dicis ſpecioſe & ſubtiliter, at ego id mihi depoſco, quod debetur: debetur autem quod Chriſtus inſtituit: inſtituit autem utrumque. C. Hæc ego dico ſolide & vere. Neque ſequitur, Chriſtus inſtituit, ergo omnibus præcepit. Nam idem in Eccleſia inſtituit munus baptizandi, prædicandi, remittendi peccata, &c. & tamen hæc non cuivis ſartori, aut ſutori, aut etiam fœminæ

minæ ex præcepto ſuo commiſſa eſſe voluit. Deinde idem Servator ante Euchariſtiam inſtituit lotionem pedum, eamque obſervari viſus eſt præcepiſſe. Joan. 13. v. 13. Et cur vos Acatholici ante cœnam Euchariſticam, non alter alterius lavatis pedes? Denique ſi communionem Chriſtus ſub utraque ſpecie mandavit, cur ipſe duobus diſcipulis in Emaus Euchariſtiam præbuit ſub una ſpecie ſolius panis, ac mox diſparuit, teſte D. Luca c. 24. v. 30. & D. Hieronymo in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium, & D. Auguſtino Tom. 4. lib. 3. de conſenſu Evangeliſt. c. 25. Ergone Chriſtus ſit primus præcepti ſui transgreſſor? Cur de primis Fidelibus legimus: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis*, (id eſt, diſtributione Euchariſtiæ, uti paſſim explicant SS. PP. & interpretes) *& orationibus*. Act. 2. v. 42. Ecce nulla hic fit mentio calicis. Certum eſt Chriſtianos, olim morituros, ſolo Euchariſtico ferculo contentos diſceſſiſſe, uti refert de S. Baſilio Amphilochius; de D. Ambroſio ſanctus Paulinus: certum eſt teſtibus Tertulliano lib. 2. ad Uxorem, Cypriano ſermone de lapſis. Ævi priſci Orthodoxos panem conſecratum ex templis domum detuliſſe, atque ibi, quando ſuadebat devotio, vel urgebat neceſſitas, eodem paſtos eſſe: certum eſt in publicis quoque templis Euchariſtiam

ſub una ſpecie populo diſtributam, uti colligere licet ex antiquiſſimis hiſtoriis, quas recenſet Bellarminus Tom. 3. lib. 4. c. 24. Becanus in Manuali lib. 1. c. 9. concluſ. 5. Coccius Tom. 2. lib. 6. art. 3. A. Similiter certum eſt, etiam Laicis in primitiva Eccleſia miniſtratum calicem, & ad ejus ſumptionem Fideles ipſorummet Pontificum Gelaſii & Leonis imperio adſtrictos fuiſſe. C. Jam dicis aliquid. Verum noveris olim Laicis calicem datum, non quia ſic Chriſtus præcepit, ſed quia tum ſic Eccleſiæ placuit; & quia ſic juſſere Pontifices. Juſſionis cauſa hæc fuit. Erant ea ætate in Eccleſia complures occulti Manichæi, qui aſſerebant Chriſtum pro nobis non ſudiſſe verum ſanguinem, & vinum eſſe creaturam non Dei, ſed diaboli, ac fel ſtygii Draconis: ut itaque conſtaret, qui Manichæi, qui veri Catholici eſſent, ſacratiſſimum Chriſti ſanguinem ex calice hauriendum omnibus Eccleſia injunxit. A. Cur ergo illa nunc nobis eundem prohibet? C. Prohibitionis cauſæ duæ ſunt potiſſimæ. Prima, quod ob communicantium multitudinem, & certorum hominum ruſticitatem, periculum ingens ſit, ne quid divini cruoris in terram effundatur, quæ foret irreverentia graviſſima: altera, quod vos Sectarii calicem ex Chriſti præcepto vobis debitum contendatis, ut autem Eccleſia oſtendat ejusmodi præceptum non

ex-

exſtare, quod inique & proterve petitur, ipſa velut cordata mater liberis ita petentibus conſtanter negat. A. Induci nequeo, ut hic Eccleſiæ acquieſcam. C. Ergo publicanus eſſe vis & Ethnicus, & tibi ipſi arma ſubtrahes, queis aliorum hæreticorum latus confodias? O te ergo miſerum, ubi Trinitatem perſonarum a te probari exiget Sabellius. A. Quid mihi toties hoc myſterium oggeris? C. Ut diſcas, neque in hoc, neque in quovis alio, cum dubie ſcriptura loquitur, ſine duce Eccleſia te recta progredi. Ejus voluntas, ejus conſuetudo, optima eſt legum divinarum interpres. Hæc audiatur.

§. 4. *An Euchariſtia ſit ſacrificium?*

MIrum eſt, quam propudioſas de Miſſæ ſacrificio ſibi conceptiones fingant Adverſarii. Paſſim cenſent eſſe Idololatriam execrabilem, & ut ajunt, Baalis cultum. O vanos hominum ſenſus & a vero maxime alienos! ergo Chriſtus erit Idololatra, qui primus miſſam fecit? Miſſæ enim eſſentia in nullo alio conſiſtit, quam in conſecratione, oblatione, & ſumptione corporis & ſanguinis Domini. Chriſtus conſecravit, dum dixit: *Hoc eſt corpus meum.* Chriſtus ſe ipſum in manibus ferens æterno Patri obtulit, inquiens: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur.* Luc. 22. v. 19. Græce διδόμενον, id

est, datum, vel in præsenti, vel in præterito. Erat ergo Christus in manibus suis victima immolata. Christus denique ipse corpus & sanguinem suum cum Apostolis comedit bibitque: Hinc recte D. Hieronymus: *Ipse conviva & convivium, ipse comedens, & qui comeditur.* Tom. 3. Epist. 150. ad Hedibiam, q. 2. De hoc sacrificio vaticinatus est Malachias: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Malach. 1. v. 10. Quænam hæc oblatio munda? non sacrificium Crucis: nam id non in omni loco, sed in solo Calvariæ monte oblatum est; nec bona opera, nam Propheta indicat fore apud Christianos sacrificium, quale non esset apud Judæos; apud quos tamen etiam vigebant bona opera. Oblatio igitur munda nihil est aliud, quam sacrificium Eucharisticum. Id agnovit tota vetus Ecclesia, & veneranda Patrum antiquitas. D. Justinus Martyr. *De nostris gentium, quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, jam tum locutus Malachias prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem prophanare.* In

dia-

dialogo cum Tryphone Judæo. D. Irenæus: *Sed & suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis Creaturis . . . . eum, qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit: hoc est corpus meum . . . & novi testamenti docuit novam oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.* lib. 4. c. 32. D. Augustinus. *Christiani jam peracti sacrificii in cruce memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi.* Tom. 6. lib. 20. contra Faustum. c. 18. pag. 136. Mitto complura testimonia. Sed ad ista quid Lutherus? In libro de missa privata audacter eloquitur: *Hic non moramur, si clamitent Papistæ: Ecclesia Ecclesia Ecclesia: Patres Patres: quia ut dixi, hominum dicta aut facta, nihil in tam magnis causis curamus. Scimus ipsos etiam Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos.* Sic etiam Calvinus: *Pestilentissimo errore Satan, totum pene orbem excæcavit, ut crederet missam sacrificium.* lib. 4. instit. cap. 18. §. 1. & infra §. 12. *Non est, cur ulla hominum authoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos moveri.* Quænam ergo sunt rationes, quæ vos movent, ut missæ sacrificium abrogetis. Movent primo. Christus dixit: *Accipite & manducate*, non autem dixit: *Offerte.* R. 1. Argumentum puerile & quod dedecet tantos magistros in Israël. Non habetur expres-

ſe in ſcriptura, ergo non eſt factum. ℟. 2. Imo juſſit Chriſtus offerre, dum dixit: *Hoc facite*, nempe quod ego feci; Chriſtus autem ſeipſum modo obtulit.

Movent ſecundo. Euchariſtia eſt teſtamentum & ſacramentum, ergo non eſt ſacrificium, quia in hoc damus aliquid Deo, in iſtis accipimus aliquid a Deo. ℟. Hæc tria conveniunt Euchariſtiæ, ſed ſub reſpectu ac formalitate diverſa: eſt enim teſtamentum, quatenus eſt inſtrumentum authenticum promiſſionis divinæ; ſacramentum, quatenus ſignum viſibile gratiæ & refectionis inviſibilis; denique ſacrificium, quatenus immolatur Deo. Sic Agnus paſchalis offerebatur ad honorem Dei, & comedebatur ad ſalutem Judæorum. Actiones noſtræ ſunt honorificæ Deo, & nobis utiles. Movent tertio. Nulli ſunt in terra Sacerdotes, cum Chriſtus ſit Sacerdos unicus, & æternum vivens, cui nemo ſuccedit teſte Apoſtolo. Heb. 7. ergo nec ſacrificium ullum. ℟. Chriſtus eſt Sacerdos ſummus ac æternus, & talis, qui neminem habet ſe ſuperiorem, hinc nulli ſunt in terra Sacerdotes, qui ei ſucceſſerint in pari poteſtate & dignitate, uti Aaroni morienti ſucceſſit Eleazarus: ſed ſunt multi Sacerdotes Miniſtri & Vicarii Chriſto inferiores. Ipſe etiam ſolus Magiſter ſupremus, plures tamen ſubordinati.

Mo-

Movent quarto, Sacrificium Crucis, quod habet vim infinitam, eſt ſufficiens ad omnia peccata expianda & ſanctificandas animas, rectè Paulus : *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Heb. 10. v. 14. Ad quid ergo ſacrificium miſſæ? ℟. 1. Ad quid ergo cœna, Baptismus, prædicatio? ℟. 2. Non ſatis eſt tibi magnam pecuniæ vim exhiberi, niſi eandem detur arripere, & facere tuam : ita quoque infinitus ille theſaurus Crucis Chriſti debet nobis applicari per ſacrificium miſſæ, ſacramenta, & pia opera. Unde & patet per miſſam non everti myſterium Crucis, ſed magis ſtabiliri, quia eſt repræſentatio & applicatio mortis Chriſti.

Movent quinto, *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Heb. 9. v. 22. ergo in miſſa, quæ eſt ſacrificium propitiatorium, neceſſe eſt fundi ſanguinem, adeoque mori Chriſtum. ℟. 1. Quid hic ſectarii, qui fide ſola docent remitti peccata, cum per illam nulla fiat ſanguinis effuſio? ℟. 2. Dictum Apoſtoli intellige de lege veteri, in qua omnia mundantur in ſanguine, vel de effuſione ſanguinis facta in Cruce, & nobis per Miſſam applicata. ℟. 3. Etiam in Miſſa funditur ſanguis, non in terram, ſed in animas hominum, quia pro hominibus libatur & offertur, hinc Chriſtus : *Hic eſt calix novum teſta-*

men-

mentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundi-tur. Luc. 22. v. 28.

Hi ſunt arietes, profecto ſtraminei, queis Lutherus & Calvinus concutiunt miſſæ ſacrificium, a Chriſto inſtitutum, ab Apoſtolis & Eccleſia tot ſæculis celebratum. Orbem univerſum appello; teſtes facio, quotquot habent ſalis aliquid, an hi homines jure ſe Prophetis, Apoſtolis, & Eccleſia ſapientiores venditent? An Eccleſia veritatis magiſtra, & mentiri neſcia, iis, qui in errores proclives ſunt, & qui in agendo & docendo ſæpe ruunt & peccant, palmam cogatur cedere? Abſit. Ite ite miſelli homines, Eccleſiam deſerite, & deſertis Eccleſiæ caſtris, vel unicum, ſi poteſtis Sabellium veſtro marte, & armis veſtris opprimite. Nunquam, nunquam ſine Eccleſia opprimetis. Cum hac igitur faciendum ſemper & in omnibus.

§. 5. *Quæſtiones reliquæ circa Euchariſtiam breviſſime deciduntur.*

QUando Chriſtus eſt in Euchariſtia præſens? R. Non tantum in ſumptione, ſed quamprimum Sacerdos pronuntiavit verba conſecrationis: hæc enim cum pronuntiet in perſona Chriſti, ut legatus Chriſti, debent ocyus verificari, ne falſitas cadat in eum, qui eſt infinita Veritas. Id recte notavit Ambroſius: *Panis iſte, panis eſt ante verba*

ba Sacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. loc. ſup. cit.

Suntne in hoſtia conſecrata ſimul panis & caro Chriſti? R. Poſt conſecrationem remanent ſola accidentia panis, ipſa autem ſubſtantia converſa eſt in Chriſti corpus, uti clare indicant verba ſanctorum Patrum ſupra citata. *De pane fit caro Chriſti*, inquit S. Ambroſius. *Sub ſpecie panis datur tibi corpus*, ait S. Cyrillus. *Recte nunc quoque credo*, ait D. Gregorius Nyſſenus, *ſanctificatum panem in Dei verbi corpus transmutari.* In orat. chatechet. c. 37.

An Chriſtus in Euchariſtia ſit adorandus? R. Quis prudens adorandum neget, cum Chriſtus etiam extra uſum in Euchariſtia ſit præſens, & qui præſens eſt, ſit verus Deus, Deo autem cultus latriæ debeatur? Pulchre D. Chryſoſtomus: *Adora & manduca.* Tom. 1. hom. 61. ad Pop. Et cum Chryſoſtomo D. Auguſtinus: *De carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem manducandam nobis ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit.* Tom. 8. in Pſ. 98. pag. 397.

Eſtne humanitas Chriſti præſens non ſolum in Euchariſtia, ſed ubique, uti docent Lutherani? Ajo id merum eſſe ſomnium, nam ſi ſubſtantia humanitatis Chriſti foret

ubi-

ubique, quomodo ea potuit migrare de loco in locum, dum in terris vixit? quo pacto de resurgente verum dixissent Angeli: *Jesum quæritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hic?* Marc. 16. v. 6. ad quid opus foret conficere Eucharistiam, cum Christi corpus & sanguis in cibo & potu domestico haberetur? Dices. Divinitas & humanitas sunt inter se unitæ: ergo ubi est una, ibi etiam est altera. R. Esse unitas, sed non totaliter, sic caput hominis unitum est animæ, & tamen non ubicunque est anima, ibi est caput.

SECTIO VIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. 1. *Ostenditur illud esse juris divini, & institutum a Christo.*

CONfessionem secretam, ut ritum novum, & ingentem in Ecclesia abusum cavillantur Acatholici; nos ut Sacramentum novæ Legis recipimus, asserimusque teneri Fideles, ut omnia peccata gravia post Baptismum admissa in Sacerdotis aures deponant. Quis obligationem imposuit? Christi præceptum. Et unde illud eruitur? Tradit imprimis Scriptura clarissime: *Accipite Spiritum sanctum*, inquit Salvator, *quorum remiseritis*

pec-

peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Joan. 20. v. 22. Et alibi: *Tibi dabo claves regni Cœlorum; Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Matth. 16. v. 19. Queis verbis Christus Petrum & Apostolos, eorumque successores animabus hominum Judices dedit, concessitque potestatem peccata aut remittendi aut retinendi, solvendi, aut ligandi; Judicis autem officium est, causam ante cognoscere, quam sententiam ferat; & causa in hoc sacro tribunali nulla alia agitatur, quam delicta Pœnitentis, quæ proinde manifestanda sunt, & ab ipsomet quidem reo seu Pœnitente, qui solus novit, quid deliquerit, præcipue quando delictum nullo teste, aut solo mentis assensu patratum est.

Hoc Christi mandatum confirmat primæ & Apostolicæ Ecclesiæ exemplum, de quo D. Lucas: *Multique credentium πεπιστευκότων* qui ante crediderant, *veniebant* (nempe ad Paulum) *confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Actor. 19. v. 18. Cave cum Luthero per *actus* intelligas miracula, quæ non sunt actus hominis, sed Dei; & ex quorum confessione non satisfactio a Paulo imperata, librorum videlicet magicorum combustio,

sed

ſed potius Dei laus & gratiarum actio ſequi debet. Cave etiam cum Calvino dixeris, fuiſſe confeſſionem peccatorum quorundam, non omnium : Scriptura enim quando de peccatis abſolute loquitur, de omnibus accipienda eſt. v. g. *Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. v. 2. *Ecce, qui tollit peccatum mundi.* Joan. 1. v. 28. adde hoſce Fideles ita confeſſos eſſe peccata ſua, uti Chriſtus inſtituit: is autem voluit enumerari peccata omnia : *Quorum remiſeritis* (nihil excipit) *quodcunque ligaveris: quæcunque alligaveritis.* Matth. 18. v. 18. Cave demum ſomnies, fuiſſe confeſſionem publicam, non ſecretam : nam licet libros palam exuſſerint, actus tamen ſuos annuntiarunt ſecreto, cum annuntiarint omnes.

Eidem Chriſti præcepto ſubſcribunt Patres : in ſecundo ſæculo D. Irenæus. lib. 1. cap. 9. Tertullianus lib. de Pœnitentia : in tertio D. Cyprianus : *Confiteantur ſinguli quæſo fratres delictum ſuum; dum adhuc, qui deliquit, in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotem apud Dominum grata eſt.* Serm. 5. de lapſis : In quarto D. Baſilius. *Neceſſario iis peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.* In quæſt. Reg. 229. In quinto D. Auguſtinus : *Agnoſce medici manum, confitere, exeat in confeſſione, &*

de-

desluat omnis sanies. Tom. 8. Tract. in Psal. 66. pag. 248. Certe *omnis sanies* omnia peccata significat, quæ secreto detegenda sunt. Quis enim, & quo fructu totius vitæ scelera detegere velit publice? Adversarii, ut ista Patrum, imo & Scripturæ ipsius testimonia elidant, varia comminiscuntur effugia, inter quæ hoc est præcipuum: peccata Sacerdotibus indicanda esse non absolutionis, sed solatii & institutionis causa: Sacerdotem non Judicem, sed præconem agere alieni, seu Divini beneficii; ejusque potestatem ligandi & solvendi, ipsum esse prædicandi ministerium, quo Pœnitentibus remissio, & impœnitentibus damnatio annuntiatur æterna. Commentum profecto vanissimum. Quis Calepinus, aut quæ Grammatica te docet, Remittere & Retinere, idem esse, quod declarare remissionem aut retentionem factam, cum significent remissionem aut retentionem reipsa facere? Quid? Nonne Christus potestatem Sacerdotalem *Claves* appellat; Quis clavium usus? declarare ostium apertum esse vel clausum, an reipsa aperire vel claudere? Cur tu in harum vocum interpretatione abludis a totius Ecclesiæ sensu (ab eo tu abludes sis, ac tum cum Sabellio congredere, experire, quam palmam relaturus sis) quæ in potestate ligandi & solvendi judiciariam auctoritatem semper agnovit? Loquatur D.

Auguſtinus; is explicans illud Apocalypſios: *Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis.* Apoc. 20. v. 4. ita loquitur: *Non hoc putandum eſt de ultimo judicio dici, ſed ſedes Præpoſitorum, & ipſi Præpoſiti intelligendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernatur. Judicium autem datum nullum, melius accipiendum videtur, quam id, quod dictum eſt: Quæ ligaveris in terra, ligata erunt in cœlo. Unde Apoſtolus: Quid enim mihi eſt, inquit, de his, qui foris ſunt, judicare? nonne de his, qui intus ſunt, vos judicatis?* Tom. 5. lib. 20. de civit. c. 9. pag. 244. Loquatur etiam D. Hilarius: *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeveritatis Apoſtolicæ judicium præmiſit, ut quos in terris ligaverint, id eſt, peccatorum nodis innexus reliquerint, & quos ſolverint, confeſſione, videlicet veniæ receperint in ſalutem, hi Apoſtolicæ conditione ſententiæ in cœlis quoque aut ſoluti ſint, aut ligati.* Can. 18. in Matt.

Præceptum denique Chriſti evincit ratio. Si enim confeſſio juris humani eſſet, Concilium aliquod aut Pontificem authorem agnoſceret; at talem tu nunquam invenies. Tanta inſuper eſt Confeſſionis difficultas, ut ni a Deo imperata ſit, eam nemo hominum imponi ſibi pateretur.

§. 2.

§. 2. *Objectiones diluuntur.*

NUnc tela inimica retundamus, quæ tamen cavillationes potius, quam argumentationes ſolidas eſſe, brevi patebit. Innocentium III. Confeſſionis authorem nominant, cum tamen hic non Confeſſionem ſimpliciter, ſed unicam ejus circumſtantiam, ut nempe a quovis Fideli quotannis in Paſchate fiat, ordinarit. Queruntur exigi enumerationem omnium peccatorum impoſſibilem. Verum quid exigit Deus? ut nimirum conſcientiæ excutiendæ diligentiam talem impendas, qualem negotiis gravioribus homines impendere ſolent; ac quæ tum peccata memoriæ occurrunt, aperias. Cætera ſimul tollit gratia abſolutionis. Quæ in hoc eſt impoſſibilitas.

Urgent, in Lege veteri ſufficiebat ad veniam ſola contritio, cur non & in nova? In promptu cauſa eſt, quia Chriſtus præter contritionem nobis etiam Confeſſionem edixit, ſicut & Baptismum olim minime neceſſarium. Inſtant, ergo Eccleſiæ conditio ſit iniquior quam Synogagæ? Id nego ſequi: nobis peccata condonantur per Sacramentum cum attritione, Judæis per ſolam contritionem, quæ eſt res ardua, & paucorum.

Objectant exemplum Chriſti, qui ſine Confeſſione Petro & Magdalenæ, & latro-

ni peccatorum gratiam fecit. Ita fecit Christus, quia ei secreta cordium pernoscenti confessio nulla opus erat; quia illam, dum mortalis viveret, promisit quidem Matth. 16. & 18. at post resurrectionem prius instituit; quia ipse culpas delebat, ut Filius Dei, & author Sacramentorum, Sacerdotes autem, ut ministri Sacramentis certis ab ipso institutis, alligati.

Jactitant, a priscis Patribus Confessionem fuisse abolitam, v. g. a Nectario, Constantinopoli, teste Socrate, lib. 5. c. 19. Sozomeno lib. 7. c. 10. Nicephoro lib. 12. c. 28. Non ergo juris divini. Sed rem, uti gesta est, cognoscamus. Cum Novatiani novam hæresin commenti, negarent lapsos cultu idolorum, ab Ecclesia recipi posse ad Pœnitentiam, Episcopi Catholici, ne sua facilitate admissionis, ansam eis aliquam præberent calumniandi, noluerunt lapsos passim ab omnibus Presbyteris, ut ante moris fuerat, Ecclesiæ reconciliari. Delegerunt igitur in qualibet Ecclesia virum doctum, prudentem, & servantem secreti, quem Pœnitentibus in gratiam reponendis præfecerunt. Qui commodatis arcanæ Confessioni auribus; si quæ publica delicta indicata essent, ea jubebat a Pœnitente publice recitari, occulta vero subticeri. Accidit sub Nectario, ut mulier facinus cum Diacono commissum, & secreta exo-

exomologesi expiatum, imprudens coram populo cum cæteris peccatis suis vulgo notis fateretur, cum omnium offensa. Inde Nectarius sustulit confessionem illam publicam, reliquit autem privatam, quæ & tum & semper antea in usu fuit. Ad rem D. Leo: *Cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari per confessionem secretam.* Epist. 80.

§. 3. *Quæstiones aliquot circa Confessionis Sacramentum resolvuntur.*

ESTne Pœnitentia Sacramentum? R. Est utique Sacramentum, in quo per verba Sacerdotis (ecce ritum externum) absolvitur Pœnitentis animus a peccatis; adeoque gratiam accipit sanctificantem, quæ una eluit conscientiarum labes. Hinc Pœnitentiam Baptismo comparat D. Ambrosius. *Quid interest, utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus* (remittendi peccata) *sibi datum Sacerdotes vendicent? Unum in utroque ministerium est. Sed dices, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? nonne Dei nomen operatur?* lib. 1. de Pœnit. c. 7.

Cur in Sacramento Confessionis imponitur satisfactio? R. In quovis peccato invenitur reatus culpæ & pœnæ. Ita fit, ut remissa culpa, adhuc exsolvenda restet pœna,

non æterna, ſed temporaria. Exemplo tibi ſit Rex & Propheta David, qui de admiſſo adulterio intime dolens, audiit, a Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum; non morieris.* 2. Reg. 12. v. 13. Et tamen condonata culpa, graves poſtea pœnas ſubiit. Parvulus ex Bethſabea natus, mori debuit: ipſe quoque David a perduelli Abſolone mire afflictus eſt, &c. juxta Prophetæ verbum: *Verumtamen, quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur*, ibid. v. 14. Ob hanc igitur cauſam Sacerdos Pœnitenti opus aliquod pium injungit, ut ſupplicium temporale, peccatis relaxatis adhuc debitum, virtute Sacramentalis ſatisfactionis, vel penitus, vel ex parte deleatur.

Quid eſt indulgentia? R. Remiſſio pœnæ temporalis, facta poteſtate clavium, & ſatisfactionibus Chriſti, & Sanctorum. Omne enim opus bonum, præter vim merendi gratiam, ſatisfacere poteſt pro peccatis propriis operanti, vel alienis. Chriſtus autem, & Sancti complures, qui innocuam, omnisque labis expertem vitam traduxere, vi ſatisfactoria operum ſuorum minime indigebant; eam igitur Eccleſia Fidelibus ſuis ſatisfactione indigis per indulgentiam applicat. Cujus rei poteſtatem accepit a Chriſto dicente: *Quodcunque ſolveris.* Matth. 16. *Quæcun-*

cunque ſolveritis. Matth. 18. Quæ verba indefinita & univerſalia de ſolutione & culpæ & pœnæ merito intelligenda ſunt.

SECTIO IX.

De tribus reliquis Sacramentis.

§. 1. *De extrema Unctione.*

EXtremam Unctionem Sacramentum eſſe, inde patet, quod per externam illam Unctionem anima infirmi ſanetur a peccatis. Audi D. Jacobum: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit eum, & ſi in peccatis eſt, remittentur ei.* Jacobi 5. v. 14. Audi & D. Auguſtinum: *Qui ægrotat, in ſola Dei miſericordia confidat, & Euchariſtiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Eccleſia petat, unde corpus ſuum ungatur.* Tom. 9. Tract. de rectitud. Cathol. converſat. pag. 348. Cur ſectarii noſtri temporis non audiunt conſilium illud Auguſtini, & S. Jacobi? cur rejiciunt morem ab ipſis Apoſtolis commendatum?

§. 2. *De Ordine.*

SAcerdotium eſſe Sacramentum hiſce verbis S. Paulus declarat: *Noli negligere gratiam*

tiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. 1. Timoth. 4. v. 14. Item alio loco: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* 2. Timoth. 1. v. 6. Aperte igitur indicat D. Paulus in Ordinatione Timothei, interveniſſe ritum externum, ſive impoſitionem manuum ſuarum, & collationem gratiæ, adeoque & ordinationem eſſe Sacramentum. Unde merito inquit D. Auguſtinus: *Sacramentum Baptismi est, quod habet, qui baptizatur, & Sacramentum dandi Baptismi est, quod habet, qui ordinatur.* Tom. 7. lib. 1. de Bapt. cont. Donat. cap. 1.

Sacerdotes ob puriſſima, & altiſſima, quæ tractant myſteria, debent eſſe cœlibes. Et ita ſtatutum eſt in Concilio Carthaginenſi ſecundo: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstineant.* Tom. 1. Concilior. Et ratio additur: *Ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Hinc ſi quis uxoratus olim eligeretur in Epiſcopum, debebat ocyus uxoris conſortium deſerere. *Non dicit Paulus* (verba ſunt D. Hieronymi) *eligatur Episcopus, qui unam uxorem ducat, & filios faciat, sed qui unam uxorem habuerit, & filios in omni subditos disciplina.*

Certe

Certe confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat, alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Lib. 1. cont. Jovin. c. 14.

Ministri Ecclesiæ debent esse legitime vocati ad prædicationem verbi divini, & ad ministrationem Sacramentorum, idque vel immediate a Deo, vel mediate ab homine habente potestatem loco Dei: sicut enim ad regimen politicum nemo admittitur, nisi justo titulo, ita nec ad Ecclesiasticum. Prædicantes autem Lutherani & Calviniani non sunt legitime vocati, nec extraordinarie, sive immediate a Deo: nam qui ita mittuntur, debent signis & miraculis evidentibus missionem suam probare, ut patet in Christo, Moyse, Prophetis, Apostolis. Hoc vero Prædicantes sectarii facere nequeunt. Nec vocati sunt ordinarie. Quia quisquis ita vocatur, debet ordinari Sacerdos ab Episcopo per impositionem manuum, ut patet ex verbis D. Pauli modo citatis, & ex continua praxi Ecclesiæ. Prædicantes autem non sunt Sacerdotes, nec ordinati ab Episcopis, sed sæpe & ordinarie in cathedras intrusi a Principe, aut Magistratu sæculari, qui potestatem Ecclesiasticam & sacram, quomodo aliis conferent, quam ipsi non habent? In Prædicantes igitur quadrat illud Christi: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit*

aliunde, ille fur est & latro. Joan. 10. v. 1. Et illud Jeremiæ: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Jerem. 23. v. 21.

§. 3. *De Matrimonio.*

NIhil deest matrimonio, quod ad rationem Sacramenti requiritur. Habet enim ritum externum, nempe contractum visibilem maris & fœminæ; & significat & confert conjugibus gratiam Christiane & indissolubiliter simul vivendi. Hinc Paulus de matrimonio: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ephes. 5. v. 6. Et D. Augustinus: *Bonum nuptiarum, per omnes gentes atque homines, in causa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere.* Tom. 7. de nupt. & concupis. l. 1. c. 24.

Matrimonium, licet sit Sacramentum, non tamen extat præceptum, ut illud ab omnibus ineatur, alioqui Paulus male suasisset: *Dico, non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicuti & ego. De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* 1. Cor. 7. v. 8. Imo virginitas recte servata est præstantior matrimonio, teste eodem Paulo: *Qui matrimonio jungit vir-*

virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit. Ibidem.

SECTIO X.

De Libero Arbitrio, Peccato, & Juſtitia.

§. 1. *An homo habeat liberum arbitrium?*

REſpondet Eccleſiaſticus: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam: Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Eccleſ. 15. v. 14. Cum Eccleſiaſtico ſentit Auguſtinus: *Totum, quod vocatur malum in hominibus, peccatum eſt & pœna. Peccatum fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium eſt. Et pœnæ infligitur juſtitia Dei, quæ nihil facit injuſte. Adverſus hæc ſola cæcitate latrant Manichæi, & cum convincuntur naturam non eſſe malam, ſed in poteſtate hominis facere bene aut male, dicunt non eſſe animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem ſuam. Quis enim non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere? & iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere? Et has injuſtitias & iniquitates miſeri non intelligunt DEO ſe adſcribere.* Tom. 6. de fide contra Manich. c. 9. Unde ſi roges ulterius.

§. 2.

§. 2. *An Deus sit author peccati?*

REspondet idem Augustinus: *Nullius culpæ humanæ in DEUM referas causam.* Tom. 7. de peccat. meritis, & remiss. lib. 2. c. 17. & recte: nam & Paulus inquit: *Nunquid iniquitas apud Deum? absit.* Rom. 9. v. 14. Et Psalmista: *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Psal. 144. v. 17. Et Ecclesiasticus: *Non dicas, ille me implantavit: non enim necessarii sunt ei homines impii, omne execramentum erroris odit Dominus.* Eccli. 15. v. 12.

§. 3. *An homo DEI præcepta servare possit?*

NEgat Lutherus: *Tot Scripturæ testimonia probant, mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius.* In confutat. rat. Latom. Negat etiam Calvinus: *Sit extra controversiam, impossibile esse in hac carne legis implementum.* Lib. 2. Instit. cap. 7. Hæc si vera, ergo falsum est illud Christi: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11. v. 30. Et illud Moysis: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, ... sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde*

de tuo, ut facias illum. Deut. 30. v. 6. Et illud Lucæ: *Zacharias & Elisabeth erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Luc. 2. v. 7. Et illud Augustini: *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis.* Tom. 7. lib. de nat. & grat. c. 43.

§. 4. *An omnia peccata contra Dei præcepta sint æque gravia?*

SUnt peccata levia, inquit S. Hieronymus, *sunt gravia, aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem.* cont. Jovin. lib. 2. c. 16. Quis dicat, verbum otiosum esse tam grave scelus, quam sit homicidium? Quis asserat, quavis Dei offensa perdi amicitiam divinam, & incurri mortem sempiternam, cum etiam inter homines dentur offensæ graves & leves? certe Sapiens testatur, *Septies* in die *cadere justum.* Prov. 24. v. 16. adeoque aperte testatur, in homine justo cum gratia, quæ est vita animæ, consistere quædam peccata, non mortalia, cum mortem non inferant, sed venialia tantum.

§. 5. *An sola Fides justificet?*

SI sola Fides justificaret, non dixisset Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19. v. 17. Nec Paulus: *Si habuero*

huero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. Cor. 13. v. 2. Nec D. Jacobus: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere: opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum? .... Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Jacob. 2. v. 14. Inde patet, quam vere dixerit Lutherus: *Erga Deum non operibus, sed nuda fide indigemus. Debemus enim cum solo Isaac venire, hoc est, cum fide, servos & asinos, hoc est, opera deorsum demittere oportetet. Quanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit. Si adornes te, ut cattus bonis operibus, ut te Deus acceptet, nihil efficies.* Serm. de piscat. Petri. Quam præclare convenit doctrina Lutheri, & Spiritus Sancti? Scilicet.

§. 6. *An ergo opera bona sunt meritoria vitæ æternæ, & in adultis necessaria ad salutem?*

QUid porro dubitas? Id sane evincunt citata Scripturæ testimonia. Quibus addo terna alia: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Matth. 5. v. 12. Et iterum: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Matth. 25. v. 34. Et alibi: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* 1. Cor. 4. v. 8. Accedat Scriptu-

pturæ S. Auguſtinus: *Vita enim æterna eſt totum præmium, cujus promiſſione gaudemus: nec præmium poteſt præcedere merita, & prius homini dare, quam dignus eſt. Quid enim hoc injuſtius, & quid Juſtius Deo? Non ergo debemus poſcere præmium, antequam mereamur accipere.* Tom. 1. de moribus Eccleſ. lib. 1. c. 25. pag. 293.

SECTIO XI.

An detur Purgatorium?

DOgma Fidei Catholicæ eſt, dari Purgatorium, ſive locum aliquem, in quo juſtorum animæ, nondum hic ſatis depuratæ, poſt mortem plene purgantur, antequam eas Deus ad cœlum admittat. Id probo. Eccleſia orat pro defunctis, non pro iis, qui cœlum incolunt, utpote precum noſtrarum haud indigis; nec pro iis, quos infernus tenet, ex quo nulla datur redemptio, ergo pro iis, qui in Purgatorio morantur. Quod autem Eccleſia pro defunctis orando religioſe & laudabiliter agat, luculenter probat Scriptura, referens, Judam Machabæum juſſiſſe ſacrificium piaculare fieri pro militibus in bello cæſis, & factum ejus dilaudans: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* 2. Machab. 12. v. 43.

Ne-

Negant Adverſarii Scripturam hanc eſſe canonicam, etſi Auguſtini teſtimonio: *Libros Machabæorum non Judæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet.* Tom. 5. lib. 18. de civ. Dei, c. 36. Sed cur negant? Quia laudat Raziam ſeipſum perimentem. Laudat, inquam, non quod ſancte, ſed quod fortiter egerit, uti notat Auguſtinus Tom. 7. lib. 2. cont. epiſt. Gaudent. c. 23. vel certe, quia, ut id faceret, habuit peculiarem inſpirationem a Deo, vitæ, necisque Domino, ſicut & Samſon: eodem Auguſtino teſte, Tom. 5. lib. 1. de civ. Dei, c. 21.

At auctor ipſe horum librorum in fine eorundem veniam rogat; cujus rei, niſi erroris, qui non cadit in Scriptorem Spiritu ſancto afflatum? Ajo, petere veniam, non errorum, ſed elocutionis, quomodo etiam Paulus excuſat ſermonis ſui imperitiam. 2. Cor. 11. v. 6.

At refert, Judam oraſſe pro defunctis in lethali noxa (quod fidei Catholicæ repugnat) cum apud occiſos milites reperta ſint donaria idolorum, contra legem Deut. 7. Verum ajo hos milites rapuiſſe donaria animo diteſcendi, non colendi idola, quod tantum erat veniale: aut ſi mortale fuerit, doluere de eo, cum in ultimis eſſent; vel ſaltem eos tum doluiſſe ſuppoſuit Judas; quocirca & recte oravit.

At

At ipſe Auguſtinus negat hos libros eſſe paris auctoritatis cum Pſalmis & Prophetis. Tom. 7. lib. 2. cont. Epiſt. Gaudentii, c. 23. Negat tales eſſe apud Judæos, non vero apud Eccleſiam. Vult tamen eos legi ſobrie, ob factum Raziæ; ſicut & ſobrie legi debet Geneſis, ne licitum eſſe arbitreris factum Patriarchæ Judæ, qui inceſtum perpetravit. Cum igitur tam nulla ſint, quæ Machabæorum libris opponunt ſectarii, manet eos eſſe vere canonicos, & eo manente, jam oratio pro defunctis, jam Purgatorium, evicta res eſt. Taceo nunc complura novæ legis teſtimonia; illud Chriſti: *Non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Matth. 12. v. 32. Ex quo recte deducit Auguſtinus, eſſe peccata aliqua, quæ in orbe altero remittantur. Tom. 5. lib. 21. de civ. Dei, c. 24. Illud Pauli: *Ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen, quaſi per ignem.* 1. Cor. 3. v. 15. quod de purgatorio igne cum variis ſanctis Patribus idem Auguſtinus interpretatur. Tom. 8. in Pſal. 37. ſtatim poſt initium. Hic eſt divinarum Litterarum de ſubjecta materia ſenſus. Nunc praxin & uſum veteris Eccleſiæ videamus, quem omnibus teſtatum facit D. Chryſoſtomus: *Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis, defunctorum agatur commemoratio, ſciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem*

tam. Hom. 69. ad Popul. D. Cyrillus Hierosolymitanus: *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.* Catech. 5. mystag. D. Augustinus: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret authoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet, etiam commendatio mortuorum.* Tom. 4. lib. de cura pro mortuis, cap. 1. Accedit Scripturæ, & Ecclesiæ ratio: Qui enim moritur cum peccatis venialibus, quæ non expiavit, imo in quibus habet voluntatem permanendi dum moritur, quonam is post mortem deveniet? non continuo in cœlum, in quod non intrat aliquod coinquinatum. Apoc. 21. v. 27. neque etiam in infernum; cum leves offensæ, non debeant puniri suppliciis æternum duraturis. Quo etiam ibunt peccatores illi, qui in extremo anhelitu convertuntur, nec pro pœna peccatis remissis debita satisfecere? Ibunt sane in Purgatorium, atque istic vel pœnis propriis ad novissimum quadrantem (Matth. 5. v. 26.) exolvent injuriam Deo illatam, vel ea expiabitur bonis operibus vi-

vo-

vorum. Dices. In morte deleri peccata omnia. Verum id recte dici nequit: nam mors est pœna peccati originalis, uti fatetur D. Paulus Rom. 5. v. 12. & Rom. 6. v. 26. & ideo communis omnibus, etiam infantibus, ergo pro actualibus inveniri debet pœna alia. Præterea Deus nec juste ageret, nec videretur habere providentiam rerum nostrarum, si una & eadem pœna, id est, morte naturali plecteret peccata magna & parva, multa & pauca.

Objiciunt Adversarii 1. Quidquid *non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. v. 23. Sed orare pro defunctis non est ex fide, quia fit cum dubitatione fidei contraria, utrum mortuus sit in cœlo, an non. Ergo hæc oratio est illicita. R. 1. retorquendo argumentum: Pro absentibus vivis etiam oratur cum dubitatione, an vivant, nec ne, ergo & hoc erit illicitum. R. 2. Per fidem intelligit Apostolus eo loco, dictamen conscientiæ, contra quod quisquis agit, peccat. Orare autem pro defunctis, est agere secundum dictamen Scripturæ, adeoque & conscientiæ. R. 3. De iis, quæ sunt fidei, dubitare est nefas, at de iis, quæ sub fidem non cadunt, recte dubitatur. Sic Christi latus esse lancea apertum fides docet, utrum illud autem dextrum, an sinistrum fuerit, incertum est.

Objiciunt 2. Juſti poſt mortem ſtatim donantur cœleſti beatitudine. *Hodie mecum erit in Paradiſo.* Luc. 23. v. 43. R. Id fuit privilegium latronis, quod minime extendi debet ad omnes. Adde, latronem crucis ſupplicio, & generoſiſſima ſua confeſſione plene expiaſſe peccata. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis.* Apoc. 14. v. 13. R. Loqui D. Joannem de extremo judicio, unde τὸ *amodo* non ſignificat, a morte cujusvis, ſed a peracto judicio: vel certe loqui de viris perfectis, & omnino puris, qui ſimpliciter moriuntur in Domino, reliqui moriuntur partim in Domino, nempe in charitate, partim non in Domino, quia decedunt cum noxis levibus, aut debito pœnæ temporalis.

Objiciunt 3. Duo tantum ſunt loca poſt hanc vitam. Ita D. Matthæus c. 25. v. 46. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* R. Duo tantum loca futura poſt diem extremi judicii. Inſtant etiam modo; nam inquit Eccleſiaſtes: *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccleſ. 11. v. 3. R. Per auſtrum intellige ſtatum caloris, ſive gratiæ & charitatis; per aquilonem ſtatum frigoris, & damnationis æternæ.

næ. Animæ in Purgatorio ſunt in ſtatu gratiæ, in eoque manebunt ſemper.

SECTIO XII.

De Cultu Imaginum, & Reliquiarum.

§. 1. *An imagines Chriſti, & Sanctorum ſint colendæ?*

NOn debent coli tanquam ſculptilia, in quibus credatur ineſſe aliqua Divinitas, ſed recte collocantur in templis, & coluntur propter eos, quos repræſentant. Sic Deus ipſe juſſit Moyſi: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex utraque parte oraculi.* Exod. 25. v. 18. Et ſic in primitiva Eccleſia paſſim imagines in honore & pretio ſunt habitæ. Hinc Ambroſius: *Invenit Helena Crucem Domini, Regem adoravit, non lignum: utique, quia hic gentilis eſt error: ſed adoravit illum, qui pependit in ligno.* de obitu Theodoſii, Athanaſius: *Abſit, ut quemadmodum Græci faciunt, nos Chriſtiani tanquam Deos imagines adoremus: affectionem duntaxat, & charitatis noſtræ ſtudium, erga figuram perſonæ per imaginem expreſſæ declaramus.* In interrog. & reſponſ. ad Antioch. c. 38.

§. 2. *Sanctorum reliquiæ an religioſe ſervandæ & colendæ ſint?*

REſpondeo affirmative. Si enim oſſa Sanctorum etiam poſt mortem miracula operentur, quidni honore & cultu afficiantur? Certe oſſa Eliſæi cum tetigiſſent mortuum quendam hominem, in ejus ſepulchro projectum, continuo illum ad vitam revocarunt: *Revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* 4. Reg. 13. v. 21. Idem confirmat Eccleſiaſticus: *Mortuum prophetavit corpus ejus. In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.* Eccl. 48. v. 14. Deinde, quis fuerit ſenſus priſcæ Eccleſiæ de cultu Reliquiarum, diſce ex D. Hieronymo, ita Vigilantium, ſui temporis hæreticum, & Reliquiarum hoſtem inſectante: *Dolet Martyrum Reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in ſterquilinium, ut ſolus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum baſilicas ingredimur: ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam confitentur? Sacrilegus dicendus eſt nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa beati Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtu-*

tranſtulit in Thraciam. Omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegii, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portaverunt? Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt..... Hæc ſunt verba blaſphemia Vigilantii. Lib. adv. Vigilant. c. 1.

SECTIO XIII.

De Cultu & Invocatione Sanctorum.

§. 1. An liceat Sanctos colere, & juxta Phraſin Scripturæ adorare?

SUppono 1. Adorationem nihil eſſe aliud, quam venerationem aliquam externam, vel ſignum aliquod, aut indicium honoris exhibiti; unde venerari, colere, adorare, in Scripturis ſæpe ſynonyma ſunt. Sic Loth *adoravit pronus in terram* Angelos. Geneſ. 19. v. 1. Bethſabee Davidem, 3. Reg. 1. v. 16. Filii Prophetarum Eliſæum. 4. Reg. 2. v. 15. Totus Populus Salomonem. *Inclinaverunt ſe, & adoraverunt Deum, deinde Regem.* 1. Paralip. 29. v. 20. Hinc recte aſſerunt Patres VII. Synodi, habitæ ante annos millenos centenos: *Nemo offendatur in adorationis vocabulo, ſiquidem & homines & ſanctos Angelos adoramus: non au-*

tem quod latriam, hoc eſt, cultum Divinum exhibeamus.

Suppono 2. Adorationem complecti tres actus; unum Intellectus, quo alterius excellentiam agnoſcimus; alterum Voluntatis, quo decernimus actione aliqua interna externave alterius excellentiam & ſubjectionem noſtram declarare; tertium denique, geſtum quendam exteriorem, quo caput detegimus, proſternimus corpus, flectimus genua, oſculamur manum, &c.

Suppono 3. Dignitatem ſive excellentiam eſſe triplicem, Divinam, quæ eſt infinita, conſiſtitque in ratione primi principii, & ultimi finis; humanam ſive civilem, fundatam in ſapientia, virtute, officiis, Regis, v. g. Parentis, Præceptoris; Media inter Divinam & humanam, quæ eſt ipſiſſima Dei gratia, tum gloria, dotesque cæteræ ſupernaturales, hominem in eminentiſſimo quodam gradu collocantes, facientesque *eſſe proximum Deo.* Sap. 6. v. 20. Huic vero triplici excellentiæ triplex quoque reſpondet cultus, ſive adoratio.

Suppono 4. Differentiam Adorationis ſoli Deo debitæ, & debitæ creaturis, deſumendam non eſſe ex actibus iis, quos foris prodimus: nam hi communes ſunt Deo & creaturis, ſi unum ſacrificium exceperis, quod ſoli ſupremo rerum omnium Domino debe-

tur:

tur: discrimen totum ab actibus internis pendet: adoratio enim Divina est inclinatio voluntatis nostræ cum apprehensione Dei, ut Primi principii, & ultimi Finis. Id quod nulli rei creatæ competit.

Suppono 5. In Scripturis sacris nullum extare vocabulum, quo proprie designetur Dei cultus; sed Ecclesiam ac Theologiam Catholicam, adorationem Dei appellare *Latriam*, & creaturarum *Duliam*, quamvis apud Grammaticos ex prima nominis impositione Latria & Dulia generatim significent servitutem quamcunque. Testis locupletissimus est D. Augustinus: *Hic est Divinitati, vel si expressius dicendum est, Deitati debitus cultus, propter quem uno verbo significandum, quoniam satis idoneum non occurrit latinum, Græco uti necesse est: insinuo, quid velim dicere. Latriam quippe nostri ubicunque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem; sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos Dominis subditos esse debere, alio nomine græce nuncupari solet: Latria vero secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis Divina alloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Tom. 5. lib. 10. de civ. Dei, cap. 1. His positis, & quasi fundamentis præjactis.

Dico: Sanctis rebusque ſacris, recte deferri, cultum Divino minorem, at majorem humano. Clariſſima hic ſunt Scripturæ teſtimonia & exempla: *Adorate*, inquit David *ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt.* ›Pſal.]98. v. 5. Quid ſcabellum, niſi Arca? Ergo hæc adoranda? Quidni ergo & nos Chriſti crucem adoremus, & Dei, Divorumque imagines? Nonne & Angelum adoravit Balaam? Num. 22. v. 31. Nonne idem fecit Dux Joſue? cap. 5. v. 15. neque evades, ſi aſſeras, Ducem Joſuam putaſſe eum eſſe Deum, qui ſibi apparuit; nam diſerte edixit Angelus: *Sed ſum Princeps exercitus Domini.* Quis Romanum Imperatorem vocet *Principem exercitus Cæſaris*? In miniſtrum Cæſaris iſta cadunt, non in Cæſarem ipſum. Nonne & Abdias *cadens ſuper faciem ſuam* adoravit Eliam Prophetam? 3. Reg. 18. v. 7. & tamen hic homo privatus, & iſte unus erat ex Principibus Regni, adeoque cultum, quo Eliam proſecutus eſt, nemo politicum, nemo civilem dixerit. Quid? quod Nabuchodonoſor Rex *Danielem adoravit* ut hominem ſpiritu Dei plenum? c. 2. v. 46. eamque adorationem Daniel minime prohibuit? Quis ergo Catholicos nos appellare auſit idololatras, qui viros ſanctos, cœlo receptos, flexo poplite colimus, & juxta Scripturæ phraſin adoramus? Scriptu-

ræ accedant Patres. S. Ambroſius: *Quisquis honorat Martyres, honorat & Chriſtum, & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Dominum.* Serm. 6. in fine. S. Auguſtinus, objicientibus Ethnicis, quod coleremus Angelos, reſpondet: *Utinam & vos illos colere velletis; facile enim ab ipſis diſceretis, non illos colere, id eſt, non colere ut Deos, ſed ut Sanctos.* Tom. 8. in Pſal. 96. Curvas genua terreno Regi, & id ſanctis Cœlitibus tu facere recuſas, qui ſunt potentiſſimi cœli Reges, ipſomet Chriſto fatente: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.* Luc. 22. v. 29. Quid nunc Adverſarii?

Objiciunt I. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies* Deut. 6. v. 13. ℟. 1. Ad quid ergo dicitur: *Serviant tibi populi, & adorent te tribus.* Geneſ. 27. v. 29. ℟. 2. Soli ſervies, ſervitute ſcilicet latriæ. Similiter tu intellige illud Pauli: *Soli Deo honor, & gloria.* 1. Timoth. 1. v. 17. alioqui nec parentes honorare licitum foret.

II. Mardochæus, adorare noluit Amanum, *ne honorem Dei ſui transferret ad hominem.* Eſth. 13. v. 14. ℟. Superbus ille Aman adorari volebat ut Deus, quod Mardochæus merito recuſavit.

III. Divus Petrus Cornelio Centurioni adorationem ſui inhibuit. Actor. 10. v. 26. ℟. Cornelius pie veneratus eſt Petrum, ſed Pe-

Petrus ex modeſtia recuſavit honorem, qui ſibi alioqui debebatur.

IV. Angelus D. Joanni volenti eum adorare, inquit: *Vide, ne feceris, conſervus tuus ſum. Deum adora.* Apoc. 19. v. 10. R. Joannes exiſtimabat hunc Angelum eſſe Chriſtum, adeoque corrigendus non propter errorem adorationis, ſed perſonæ. Ita expreſſe D. Auguſtinus. *Nec moveat, quod alio loco in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem adorare ſe, & admonet, ut Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo poſſet adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator.* Tom. 4. quæſt. 61. in Geneſ.

§. 2. *An liceat Sanctos invocare?*

OBſerva, invocare Sanctos ex ſenſu Eccleſiæ Catholicæ, non eſſe idem, ac petere, ut Sancti nobis dent aliquid, tanquam auctores gratiæ & gloriæ, ſed ut ipſi pro nobis Deum orent, qui potens eſt dare, quod volumus. Hoc prænotato; docemus nos Catholici primo, & recte docemus, Cælites pro nobis orare, non in genere tantum, ſed in particulari etiam. Sic enim Onias & Jeremias defuncti orabant pro populo ſuo. 2. Machab. 15. v. 14. & Angelus pro captivis Judæis. Zach. 1. v. 12. Quidni & Sancti, qui ſunt æquales Angelis, & una cum his

præ-

præsunt Ecclesiæ; teste Christo: *Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, &c.* Apoc. 2. v. 26. teste item D. Ambrosio: *Sicut Angeli præsunt, ita & hi, qui vitam meruerint Angelicam.* lib. 8. in Lucam.

Docemus secundo, Angelos, Sanctosque invocari licite & fructuose. Id enim exemplo suo nobis præivit S. Patriarcha Jacob, invocans Custodem suum Angelum pro filiis Joseph: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Gen. 48. v. 16. Id est, protegat hos pueros, uti me protexit. An non hoc est invocare Angelum? Hanc quoque invocationem suadet ratio; nam licite petuntur preces vivorum, cur non & Sanctorum regnantium in cœlo? Non tibi est impium dicere: *Mi Pater, ora pro me*, & tuo ego sensu sim idololatra, si dixero: *Sancte Petre, ora pro nobis?* Ergo ex mente tua erunt idololatræ, primæ Ecclesiæ fideles? Patres Chalcedonenses Concilii actione secunda sic deprecantes: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret:* S. Athanasius: *Intercede hera & domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.* Serm. de Annunt. S. Hieronymus: *Vale o Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva. Fides & opera tua Christo te sociant, præsens facilius, quod postulas impetrabis.* In Epitaph.

Pau-

Paulæ circa finem. S. Auguſtinus: *Ideo quippe ad ipſam menſam non ſic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis, ut ipſi pro nobis orent.* Tom. 9. Tract. 84. in Joan. Hos tu Viros ſanctiſſimos, doctiſſimosque erroris, ac ſummi ſceleris argues, ut Lutheri tui & Calvini nova ſomnia, & fœda in ſanctos dicteria poſſis defendere? Quæſo ob quam cauſam? queis te rationum momentis ad id permovent?

Dicunt I. Sancti non fruentur viſione Dei, niſi poſt diem judicii. Contra Ad quid ergo dixit Salvator latroni: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23. v. 43. & ſi *impii in puncto ad inferna deſcendunt.* Job. 21. v. 13. uti patet in divite Epulone; cur non Juſtorum animæ, plene purgatæ, ocyus in cælum evolent?

Dicunt II. Sancti ignorant preces viventium. Contra I. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. v. 10. Si gaudent Angeli de converſione particulari hujus vel illius peccatoris, ergo & illam noverunt; & ſi hanc, cur non & preces ad ſe fuſas? & ſi hæc cognitio concedatur Angelis, cur non & Sanctis, de quibus Chriſtus: *Æquales enim Angelis ſunt & filii Dei.* Luc. 20. v. 36. Contra 2. Sanctis innoteſcere preces noſtras, exigit eorum officium, cum ſint præſides Eccleſiæ, noſtri curam gerenren-

rentes; & ſtatus beatitudinis, cui debetur notitia eorum, quæ ad Sanctos, eorumque honorem pertinent. Quis Rex accipiens litteras de amici ſui felicitate, eas aſſidenti amico non communicet? Contra 3. Sancti adhuc in terris degentes, cognovere occulta & abſentia, Eliſæus furtum Giezi. 4. Reg. 5. v. 20. S. Petrus fraudem Ananiæ & Saphiræ Actor. 5. v. 3. quidni & in cœlis, quando in Deo vident omnia?

Inſtant Adverſarii. *Tu es enim Pater noſter, & Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos.* Lib. 63. v. 16. Contra. Abrahamo & Iſrael tum in limbo detentis ac necdum beatis, ea notitia non debebatur, debetur autem Sanctis, qui beata fruuntur viſione Dei. Inſtant iterum. Saltem beati non audient orationes ſolo corde fuſas; nam id uni Deo Scriptura tribuit: *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* 3. Reg. 8. v. 39. Contra. Etiam Deus appellatur ſolus *bonus.* Matth. 19. v. 17. *Solus potens & immortalis.* 1. Tim. 6. v. 15. & tamen alii quoque ſunt boni, potentes, immortales, nempe per participationem, Deus autem per eſſentiam. Sic & Deus ſecreta cordium ſolus novit virtute propria. Sancti autem per gratiam revelantis Dei, cum officium illorum & ſtatus id poſtulet V. D. Auguſtinum Tom. 4. lib. de cura pro mortuis. c. 15.

Di-

Dicunt III. Sanctorum invocatio est injuriosa Christo: *Quia unus est mediator Dei & hominum.* 1. Tim. 2. v. 5. Contra 1. Magna scilicet injuria est Regi, si is adeatur & rogetur per ministros, per matrem, aut filios Principes? imo istud honor regis est. Contra 2. Fitne injuria Christo, dum preces hominis mortalis expetis, eumque tibi vis intercessorem esse apud Deum? nulla. Ita nec dum intercessores adhibeo Beatos. Contra 3. Nunquid & Moyses dicitur ab Apostolo Mediator. Galat. 3. v. 30. Christus ergo est unus mediator immediatus ad Patrem, nullo alio mediatore indigens, meritis propriis, Sancti autem sunt mediatores mediati, omnia impetrantes per merita Christi. Pulchre Bernardus: *Nam reverentur in Christo homines Divinam Majestatem, ut opus sit mediatore ad mediatorem istum.* Serm. ult. de Assumpt. B. Virg. Et D. Augustinus: *Homines omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis, pro quo autem nullus interpellat, sed pro omnibus, hic unus verusque mediator est.* Tom. 7. lib. 2. cont. Parmenianum. cap. 8.

Dicunt IV. Deus est paratissimus nos audire, quos impense diligit. Unde & ait: *Venite ad me omnes.* Matth. 11. v. 28. Contra 1. Quid ergo petis preces viventium? Contra 2. Deus adhuc paratior est audire Sanctos, quos diligit præ nobis: unde & aptio-

res

res ſunt ad impetrandum, quam nos. Idem Deus qui dixit: *Venite ad me omnes*, ... dixit etiam: *Ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis: Job autem ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam.* Job. 42. v. 8. Nec mihi oggeras, Jobum fuiſſe vivum & præſentem, nam & Sancti nobiliſſima ſui parte vivunt, & præſentes ſunt, ſi non loco, ſaltem cognitione, uti probatum eſt.

Dicunt V. Magnus abuſus videtur Sanctos venerari Oratione Dominica, ad eosque dicere Pater noſter. Contra. Nos hac oratione non alloquimur Sanctos, ſed Deum; Orationem tamen Dominicam Sanctis tanquam libellum ſupplicem porrigimus, quem ſuis ipſi precibus Deo commendent.

Dicunt VI. Plurium Sanctorum hiſtoriæ ſunt Apocryphæ, v. g. Chriſtophori, Georgii, quid ergo eos invocemus? Contra 1. Etſi hiſtoriæ ſint apocryphæ, an ideo non ſint Sancti? Contra 2. Tu, ſi colere nolis Chriſtophorum, cole Deiparam, Stephanum, quos ut Sanctos ipſa tibi Scriptura proponit.

Dicunt VII. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt.* Rom. 10. v. 14. Solus ergo Deus eſt invocandus, in quem ſolum credimus. Contra. Qui invocatur ut Deus & primus auctor bonorum, in eum oportet credere. Sanctos autem invocamus ut amicos Dei, & Patronos noſtros apud Deum.

Dicunt VIII. Sancti habent abundantissimum præmium suorum meritorum, dum Deum vident, nihil ergo illis debetur, quod sibi, aut aliis impetrent. Contra. Sancti nec sibi, nec aliis in cœlo merentur, vi tamen meritorum præcedentium, id habent, ut velut amici possint a Deo aliquid petere & impetrare.

Dicunt IX. Cur pro variis morbis varios Sanctos imploramus, cum Deus per eundem præstare possit omnia. Contra. Potest, at non vult. Vult enim Angelorum, hominumque ministeria esse diversa, vult unum Angelorum præesse mari, alterum igni. Apoc. 16. v. 5. vult D. Paulum operari miracula plurima, D. Joannem Baptistam nec unicum. Quis autem novit consilium Dei, aut quis ei dicere potest, cur ita facis? *Ubique quidem Deus est*, inquit D. Augustinus, *& nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia. Verumtamen quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui, ut pergerent duo clerici, quia inde nobis facilius, fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Numquid non & Africa sanctorum Martyrum corporibus plena est? & tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim dicit Apostolus* 1. Cor. 12. *Non omnes Sancti habent dona curationum:*

ita nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique, ſicut vult. Tom. 2. Epiſt. 137. ad Clerum, & populum Hipponenſem.

Quis nunc bonæ mentis amans, ob haſce Adverſariorum rationes, tam ſolidis reſponſis dilutas, cultum Sanctorum, ut idololatriam exhorreſcat, quem ſanctiſſimi Patriarchæ Jacobi exemplo confirmatum, Scripturæ ſenſui, & rectæ Rationi conformem, Vetuſtiſſimorum Patrum teſtimoniis roboratum, planiſſime oſtendimus. Quis nos ritus novi damnabit, quem primitiva Eccleſia complexa eſt. Abiiſti ab ea? eadem opera & a veritate abiiſti. Eccleſiæ filum, ductumque quisquis non ſequitur, labyrinthæis Pelagii, Arii, Sabellii erroribus implicabitur, neque his te Calvinus, aut Lutherus, aut ſenſus privatus expediet. Unicum reſtat D. Moyſis conſilium: *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Deut. 32. v. 7. Huic obtemperandum eſt.

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium

omnium, & inviſibilium: Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine, & Homo factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt: & reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas: & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris: & iterum venturus eſt cum gloria, judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas: Et unam Sanctam catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum & exſpecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas Traditiones, reliquasque ejusdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam juxta ejus ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, &

in-

interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie Sacramenta novæ Legis a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de Juſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter, in miſſa offerri Deo verum, proprie dictum, & propitiatorium ſacrificium, pro vivis ac defunctis: atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, una cum anima, & Divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti: fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus; & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam conver-

sionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse: animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas esse; atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo: Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam Romanam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia a sacris Canonibus, & Oecomenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio ac profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque, ab Ecclesia damnatas, & rejectas,

& anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo; eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ Spiritum, conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro; Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c.

CAPUT II.

Quid homo Chriſtianus debeat fugere.

INSTRUCTIO I.

Quid, & quotuplex ſit peccatum?

QUis dicitur peccare? R. Is peccat, qui verbo, cogitatione, aut opere transgreditur legem Dei.

Enumera peccata aliqua, quæ committuntur verbo. ℟. Peccant verbis, qui se, aliosque diris devovent, jurant per animam, mentiuntur, convitia in alios jaciunt, eosque vocant nebulones, fures, meretrices, &c.

Enumera peccata aliqua, quæ committuntur cogitatione. ℟. Talia sunt, fovere iram, aut odium in animo, impuras imaginationes etsi adverteris, non expellere, iisdem consentire, alios judicare temere, &c.

Enumera peccata aliqua operis. ℟. Peccat opere, qui alios vulnerat, vel occidit, qui furatur, qui mœchatur, qui se inebriat, &c.

Quotuplex est peccatum? ℟. Duplex. Veniale scilicet, & Mortale.

Peccatum veniale quodnam dicitur? ℟. Illud, quo homo meretur non æternas inferni pœnas, sed aliquam temporalem, vel in purgatorio, vel in hac vita sustinendam.

Edissere exempla aliqua venialium peccatorum. ℟. Talia sunt, leviter irasci, jocose mentiri, aliquid temporis perdere otio, dicere verba otiosa, &c.

Quid est peccatum mortale? ℟. Quod occidit animam, eamque obnoxiam facit damnationi æternæ.

Recense in particulari quædam peccata mortalia. ℟. Peccas mortaliter, si die Dominico, v. g. ex negligentia omittis audire

Sa-

Sacrum, si serio alicui imprecaris diabolum, si falso juras per animam, si te inebrias, si cum persona libera fornicaris, &c.

INSTRUCTIO II.

Proponuntur motiva fugiendi peccatum mortale.

EA est malitia, fœditas, & pernicies cujusvis peccati mortalis, ut portentorum longe maximum sit, hominem rationis capacem, posse se deliberato consilio in rem adeo sibi fœdam & noxiam immergere. Age fœditatem illius, & perniciem breviter exponamus.

Quis est Deus, & quis est homo? Respondet Isaias: *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Isa. 40. v. 17. Quam tu homo peccator parvus es ad orbem universum? & si orbis universus nihil est ad Deum, quanta est temeritas tua, dum audes Deum infinitæ majestatis, pulchritudinis, bonitatis, potentiæ, peccato mortali offendere, inhonorare, & ad iracundiam provocare?

Quanta accepisti a Deo beneficia? creavit te, conservavit, redemit, justificavit. Est frater, pater, & sponsus tuus. Et in eum peccas? hoc est, lacessis convitiis, imo quantum in te est, perimis, juxta illud Pau-

linum : *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Heb. 6. v. 6. Quanta hæc est ingratitudo ?

Quantam tui curam gerunt Angeli ? quam tenero amore, dum in statu gratiæ eras, te prosecuta est Dei Mater ? & tamen, & hanc, & illos contristas intime, dum graviter peccas, facisque, ut Angeli boni a te fugiant, & Virgo Deipara e numero clientum & filiorum suorum te eliminet.

Peccatum mortale aufert gratiam & charitatem, quæ est vita animæ : adeoque vocatur mortale, quia animam occidit, teste Sapiente : *Quasi a facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te, dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum.* Eccl. 21. v. 1.

Tollit omnia merita prioris vitæ, iisque ita exuit hominem, ac si nullum unquam bonum opus feciſſet, nec quidquam meruisset. Ita testatur Deus ipse per Ezechielem Prophetam : *Si justus confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur.* Ezech. 33. v. 13. Quam immensa hæc jactura est, omnes bonorum operum fructus unica peccati pruina decoqui & exuri ?

Facit, ut opera omnia, quæ fiunt in statu peccati, quatumvis magna & eximia, ut jejunia, pœnitentiæ, orationes, eleemosynæ,

sint

ſint opera mortua, nec Deo grata, nec conducant ad augendam gratiam & gloriam. Spoliat omni jure, quod homo habebat ad vitam æternam, & regnum cœleſte, ad immenſas cœli opes & voluptates. Ita enim aſſerit Apoſtolus: *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod eſt idolorum ſervitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.* Epheſ. 5. v. 5. Quantum damnum foret excidere dominio, ex quo ſingulis annis centum aureorum millia percipere: ſed damnum infinities majus eſt perdere infinitos cœli theſauros & delitias. Tu igitur, dum peccare vis, teipſum alloquere: *Ergo leviſſima voluptatula cœlum vendam?*

Addicit hominem, ad cœli gaudia natum, æternis & graviſſimis inferni ſuppliciis: ad peccatores enim dicet aliquando ſupremus Judex: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum;* obſecro te, quanta eſt veſania, unica voluptatis ſtillula, cruciatus mercari æternos!

Eripit omnem conſolationem ſpiritualem, & quietem animæ, eamque ſusque deque verſat & agitat. *Impii ſunt quaſi mare fervens,* (inquit Iſaias Propheta) *quod quieſcere non poteſt.* Iſa. 37. v. 20. Et alio in loco: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Iſa. 48. v. 21. Hominem, qui cœli civis erat, hæres Chriſti, cohæres Angelorum, Dei filius,

tra-

tradit diabolo in ſervum & mancipium perpetuum. Unde Chryſoſtomus dicit: *Pejus eſt peccare, quam a Dæmone obſeſſum eſſe.* Homil. 30. ad popul.

Reddit animam tam fœdam & fœtentem, ut nulla in mundo cloaca, nulla ſus in luto voluptata, nullum cadaver ſanie fluens tam ſit abominabile, quam abominabilis & fœtens eſt in conſpectu Dei & Angelorum anima peccato mortali infecta. Teſtis eſt Ambroſius, dum inquit: *Interroga conſcientiam peccatoris, nonne gravius fœtet omnibus ſepulchris?* lib. 1. offic. c. 12. Teſtis Jeremias: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Thren. 4. v. 8.

Imo, homo mortaliter peccans, ſæpe eſt pejor ipſo diabolo. Diabolus enim ſemel duntaxat peccavit, homo malus peccat ſæpius. Diabolus breviſſimo tempore in peccato perſtitit, homo malus ſæpe annos integros in peccatis hæret. Pro Diabolo Chriſtus non eſt mortuus, nec datus eſt illi locus pœnitentiæ, nec proviſa Sacramenta, quibus tamen beneficiis cumulatus eſt homo peccator. Jam autem cæteris paribus majus eſt peccatum, quod fit contra majorem benefactorem.

Miſer peccator audi, & time. In peccata proruis gravia & multa, ſed ex peccatis illis unum aliquando erit ultimum. Deus enim,

enim, qui omnia in menſura, & numero, & pondere diſponit, ſtatuit etiam ab æterno ſe toleraturum in te tot peccata, nec plura: hæc ubi feceris, & numerum compleveris, nec unicum addes, ſed ultimo patrato, nullus forte dabitur pœnitentiæ locus, at moriere ocyus, & in puncto ad inferna deſcendes. Cum autem neſcias, quodnam ex peccatis tuis futurum ſit ultimum, forte illud, quod hodie facies, merito caves omnia. Quis in menſa opipera manum ad cibos extendat, ſi certo noverit, unum ex illis eſſe præſentiſſimo veneno infectum?

Hæc, aliaque plura, qui ſecum expendit, nonne is videt inter omnia mundi mala longe maximum eſſe mortale ſcelus? Satius eſt millies mori, quam ſemel peccare. Quid enim ſit momentanea mors corporis ad mortem animæ æternam? Quid breves hujus vitæ dolores, ad vitæ alterius cruciatus graviſſimos & ſempiternos? Quid omnia hujus mundi mala, ad peccatum mortale, omnium malorum compendium? Hoc enim, ut vidiſti, Deum offendit: ſumma eſt in Deum injuria, & ingratitudo: contriſtat Deiparam & Angelos: ſpoliat animam gratia: enecat vitæ prioris merita: reddit opera omnia infrugifera: turbat quietum mentis ſtatum: privat æternis & immenſis cœli gaudiis: deturbat ad æterna inferni ſupplicia: facit hominem, Dei

fi-

filium, mancipium Dæmonis: replet animam fœtore & ſordibus: commutat hominem in beſtiam: efficit ipſo Dæmone pejorem: cauſa denique eſt malæ mortis, & damnationis æternæ. Hæc omnia tu noſti, hæc te fides Chriſtiana certo & infallibiliter docet, & adhuc peccare velis? Recte Anſelmus: *Si hic peccati pudorem, & illic cernerem inferni horrorem, & neceſſario uni illorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quam peccatum in me immitterem.* Lib. de ſimil. c. 109.

INSTRUCTIO III.

Quæ peccata Chriſtiano adoleſcenti potiſſimum vitanda ſint?

OPeram ſedulo dabis, ut ea, quæ in ordinem alphabeticum redegi, a te omnino vitentur.

Arrogantia. Nulli te præfer ob formam, ingenium, opes, familiam: nam hæc dona, non tua, ſed Dei ſunt, qui iſta alteri æque dare potuiſſet, ac tibi: & quia tibi data ſunt, tanto gravius propterea te judicium manet. Illud Tobiæ monitum nunquam animo tuo excidat: *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Tob. 4. v. 14.

Blaſ-

Blaſphemia. Chriſtianus adoleſcens Deum, Deiparam, & Sanctos blaſphemet, quos tenere & impenſe ab eo diligi par eſt? Id vero monſtrum eſt, & ingens, velle te eſſe diabolum, cum eſſe poſſis Angelus, & cum adſcribi poſſis inter Angelos, aſſidue Deum laudantes, referri tamen te velle in tribum dæmonis, in cujus officina una blaſphemiæ ars per omnem æternitatem & diſcitur, & exercetur.

Comœdiæ turpes. Impura hiſtrionum ſpectacula nunquam adito. Cauſam moniti hujus requiris? dabit D. Salvianus, Maſſilienſis Antiſtes, eum audi. *Talia ſunt, quæ iſtic fiunt, ut ea non ſolum dicere, ſed etiam recordari aliquis ſine inquinatione non poſſit. Alia quippe crimina ſingulas ſibi ferme in nobis vendicant portiones, ut cogitationes ſordidæ animos, ut impudici aſpectus oculos, ut auditus improbi aures, ita, ut cum ex his unum aliquod erraverit, reliqua poſſint carere peccatis. In theatris vero nihil horum reatu vacat, quia & concupiſcentiis animi, & auditu aures, & aſpectu oculi polluuntur.* Lib. 5. de Provid.

Dirarum imprecatio. Quantumvis tibi juſta iraſcendi cauſa præbeatur, execrationes tamen nunquam ore tuo excident: nam veriſſimum eſt, quod ſapiens ait: *Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam.* Eccl. 21. v. 30.

Ebrie-

Ebrietas. Cave, ne ullum alium inducas ad inebriandum se, multo minus inebriabis teipsum. Quæ mala ebrietatem consequantur, exponit Salomon: *Cui væ, cujus patri væ, cui rixa, cui foveæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Prov. 23. v. 29. Et eodem in loco: *Ne intuearis vinum, cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Ita sane mordebit, ut in te omnem rationem, virtutem, ac præcipue castitatem extinguat. Noli igitur potitare in cauponis, quin imo, dum domi tuæ es, tempera tibi in cibo & potu; hæc enim sunt ligna & pabulum, quo ignis libidinum accenditur & augetur. In æstu febrili corporis nunquam sumis potiones calidiores, vini v. g. idque, ne noceatur corpori, & tibi difficile videatur cibi, potusque intemperiem vincere, ne febriles libidinum æstus in te concites & inflammes?

Furtum. Nec assem unicum furare, etiam in paterna domo. *Dæmon enim* (ut recte inquit Antiochus Monachus, Tom. 2. Biblioth. SS. PP.) *improbandi furti artifex, primum quidem a rebus exiguis sumit auspicium suæ artis, sed temporis progressu ad magna progreditur.* Quam multi juvenes furtis assueti, nec finem im-

impoſuere flagitiis, donec laqueus fatalis vitam eripuit?

Geſtus incompoſiti, & inverecundi. Nulla in moribus tuis levitas aut impudentia, aut dicacitas appareat, nam modeſtia & verecundia eſt proprium ornamentum adoleſcentiæ. Quem non terreat illud Prophetæ: *Pro eo, quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ... decalvabit Dominus verticem earum.* Iſa. 3. v. 16.

Hæreſis. Quidquid hæreſin ſapit, & ad eam tibi viam ſternere poſſet, ut conſortia, ſermones, libri, conciones hæreticorum, tanquam peſtem fuge; nam ſi Paulus etiam Tito Epiſcopo, viro ſancto, & a ſe erudito ſuadet: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt.* Tit. 3. v. 10. Quid te adoleſcentem incautum, imperitum, & flecti facilem agere decet? Si ſapis, devita hæreticos, vulpes illas, quæ certo demolientur vineam animæ tuæ.

Juramenta. Juramentis nolli aſſueſcere: nam ubi ſemel aſſueveris, non facile deſueſces; & qui jurat facile, facile etiam pejerat, cum inſigni damno animæ ſuæ. Tui ſermonis regula ſit illud Chriſti: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis,*

non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. . . . . Sit sermo autem vester: est est, non non, quod autem his abundantius est, a malo est. Matth. 5. v. 33. Qui tibi injurato credere non vult, eum tu indignum censes, in cujus gratiam jures.

Libido. Adolescens purus, uti est Angelus, ita impurus fœtens Diabolus. Omni igitur sollicitudine fuge non solum actus, sermones, & cogitationes turpes, sed etiam id omne, quod Angelicæ puritati adversatur, ut sunt aspectus curiosi fœminarum, tactus manuum, &c. Ita monet Sapiens: *Virginem non conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.* Eccli. 9. v. 5. Imo suadeo tibi, ut etiam inter tui similes non utare jocis liberioribus; nam ab his facile procedes ad sermones minus verecundos, & impuros, & denique ad ejusmodi opera.

Mendacium. Noli unquam mentiri, etiamsi mendacio possis ingens malum evitare, aut ingens commodum assequi. De mendacibus inquit Sapiens: *Abominatio est Domino labia mendacia.* Prov. 12. v. 22. De iisdem inquit Christus: *Vos ex patre Diaboli estis.* Joan. 8. v. 44. Mendaces etiam sunt viles & exosi apud homines; unde recte S. Hieronymus: *Antiquus sermo est, mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur.* Epist. 37. ad Julian.

De-

Denique quis temere & facile mentiri velit, cum SS. Patres & Doctores Catholici asserant, nec pro salute totius mundi, vel minimum officiosum mendacium dici debere?

Nugæ in templis. Templum ingressurus, revoca in memoriam illa Scripturæ verba: *Terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Genes. 28. v. 17. Augustam igitur concipe opinionem mysteriorum Christianæ fidei, & in templo agens, omnem risum, omnem jocum, fabulas omnes, & irreverentiam quamcunque, etiam minimam cave, & ibidem versare, ut aulicus & domesticus Dei & ut homo quidam cœlestis. *Ecclesiam ut cœlum adi.* (inquit B. Nilus, S. Chrysostomi discipulus) *& nihil in ea aut loquere, aut age, quod terram sapiat.* Et quidni cœlum Ecclesia sit, in qua Christus adest cœlorum Rex, qui uniuscujusque motum metitur, & conscientiæ rationem habet? in qua Regi suo adstant Angeli, Cherubim & Seraphim, præ pudore & reverentia etiam alis facies suas tegentes. Et tu coram Deo & Angelis ridere, jocari, fabulari audeas? *Digna fulmine sunt hæc*, uti Chrysostomus loquitur.

Odium. Etsi graviter a quopiam læsus sis, odium tamen minime erga eum in animo tuo fovebis, ne in te cadat illud Joannis: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tene-*

bris ambulat, & nescit, quo eat. . . . . qui non diligit, manet in morte. 1. Joan. 2. v. 11. Turpissimum sane est adolescenti, ut sit implacabilis, cui lenitatem & facilitatem ipsa natura insevit.

Paginæ impuræ. Nulla ratione lege libros, in quibus habentur impura & amatoria carmina, fabulæ, historiæ, item qui tractant de anatomia humani corporis. Ab ejusmodi librorum lectione omnino abstinere debent casti, & innocui juvenes; nam ex illis plurimum mali discent, & sæpe haurient initium suæ perditionis.

Querimoniæ, & murmurationes. Quod cuivis Christiano homini, id sibi præcipue dictum existimet adolescens: *Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus, ut sitis sine querela, & simplices filii Dei.* Philip. 2. v. 14. Hæsitare ad majorum imperia valde malum est (ut mox dicetur) sed contra eadem murmurare, longè pejus. Ejusmodi murmuratores turbant pacem domesticam, parentes contristant, & Deum ipsum ad vindictam sui sceleris provocant. Quis nescit, Mariam Moysis sororem ob murmur lepra percussam a Deo, Dathan & Abiron vivos terræ hiatu absorptos? Exempla hæc te merito terreant.

Repugnantiæ adversus Superiores. Adolescens Christianus non debet esse duræ cervicis, aut inobediens erga parentes suos, Ma-

Magiſtros, aliosque, qui præſunt ei loco Dei. Quid de inobedientia dici poteſt acerbius, quam quod Samuel dixit: *Quaſi peccatum ariolandi, eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* 1. Reg. 15. v. 23. Obedire te ergo oportet in omnibus, quæ imperantur, modo quæ imperantur, non pugnent cum lege divina.

Societas prava. Quantopere tibi fugienda ſit omnis prava ſocietas, hiſce verbis declarat Apoſtolus: *Denuntiamus vobis fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.* 2. Theſſ. 3. v. 6. An ergo tantum eſt a pravo ſodali periculum? imo maximum & præſentiſſimum, uti recte declarat D. Baſilius: *Revera noxiæ ſunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea eſt amicitiæ hujus lex & vis, ut per ſimilitudinem malitiam conjunctis indat. Quamobrem recte proverbium dicit: Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Ut enim in peſtilentibus locis, ſenſim attractus aër latentem corporibus morbum injicit, ſic in prava conſuetudine, ac converſatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamſi ſtatim incommodum non ſentiatur.* Homil. 9. Omni itaque ſtudio fuge ſocietatem & commercium cum ejusmodi hominibus, qui malis ſuis exemplis, colloquiis, promiſſis, exhortatione ad peccata gravia, v. g. ebrietatem, aut libidinem te in-

citant; qui te inducunt in domos periculoſas, ad loca, in quibus homines alterius ſexus ſe lavant, &c. Quidquid mali & impuri in ejusmodi converſationibus aut videris, aut audieris, continuo mentem infeſtabit, & inſtar mali ſeminis fructus malignos proferet.

Tædium laboris. Nec unicum temporis quadrantem perde otio; otium enim eſt pulvinar Diaboli, & ſcaturigo cogitationum obſcœnarum, malorumque deſideriorum. *Multam malitiam*, ait Sapiens, *docuit otioſitas.* Eccli. 33. v. 19. Atque uti ager, qui non colitur & ſeritur, neceſſario profert lolium, ita animus, qui honeſtis ſtudiis, & bonis actionibus non occupatur, multas impuras, noxiasque phantaſias progerminat. Veriſſimum eſt, quod paſſim dicitur: *Homo otioſus a mille Diabolis, & laborioſus non niſi ab unico impugnatur.* Idcirco tempus omne, labore, lectione, ſtudiis, precibus, ſanctisve colloquiis, aut honeſta animi relaxatione traduces.

Vetiti luſus. Luſu chartarum & alearum tibi in perpetuum interdicito. Nam licet is in ſe res non ſit mala, ſemper tamen eum comitatur irreparabilis jactura pretioſiſſimi temporis, & plerumque interveniunt peccata varia, quæ pulchre expreſſit S. Baſilius in concione quadam ad auditores ſuos: Si *vos*, inquit, *dimiſero, & concilium hoc diſſolvero, ſunt*,

sunt, qui protinus ad tesseras, aleasque se conferant. Juramenta sunt illic, contentionesque pergraves, avaritiæ partus: Spiritus malignus assistit, furorem punctis ossibus illis, ludentiumque insaniam accendens. Atque modo hunc victoria effert, illum victum mœstitia premit, &c. Hom. 8. in hexam.

INSTRUCTIO IV.

De remediis vitandi peccatum mortale, præsertim libidinem.

HÆc remedia sunt duplicis generis: nam imprimis sunt certæ res vitandæ, quæ nos ad peccatum alliciunt, ut societas prava, aspectus liberi, lectio turpis, otium, ludi vetiti, intemperantia in cibo & potu, de quibus actum est instructione præcedenti. Sunt deinde etiam certæ res faciendæ, quæ ad peccata vitanda conducunt, nimirum:

Ambula semper coram Deo, & in omnibus operibus tuis per vivam fidem in memoriam tibi revoca: *DEUS mihi adest, & videt omnia, quæ ego cogito, facio, & loquor.* Quis peccare audeat, si memor sit adesse sibi Deum, & observare omnia, tanquam testem, judicem & vindicem?

Nunquam memoriæ tuæ excidant novissima hominis, Mors, Judicium, Infernus, cœlestis Gloria. Quam hoc medium sit efficax,

docet his verbis Sapiens : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccli. 7. v. 40. Teipsum igitur sæpius alloquere : Mors certa, sed mortis hora incerta : forte hoc momentum, quo pecco, erit & momentum, quo moriar. Quomodo subsistam coram meo Judice, si eum peccatis offendam ? Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Ergo ego voluptatis stilla, salutem meam, & cœli gaudia vendam ?

Esto frequens in percipienda Eucharistia. Multi enim, qui crebro communicant, & ante & post Communionem notabilem temporis partem precibus devote impendunt, paulatim diminuunt numerum peccatorum, & tandem eo deveniunt, ut in nullum deinceps mortale peccatum labantur.

Elige tibi Confessarium, qui sit vir prudens, doctus, & timoratæ conscientiæ ; huic confitere sæpius, v. g. singulis octo aut quatuordecim diebus ; confitere autem illi constanter, & sincere aperi, quoties peccatum tibi familiare admiseris, hæc constans confusio tui ipsius, cor Dei emolliet ad gratiam efficacem tibi concedendam, qua malas tuas consuetudines vincere, & plane emendare possis.

Medium valde efficax contra omnes Dæmonis tentationes est humilis & fervens oratio

tio ad Deum : fiducialis, conſtans, imo quotidiana invocatio Beatiſſimæ Virginis, & certorum patronorum Cœlitum. Unde, ſi conſequi velis magnam corporis, animæque puritatem, magna devotione recita in dies Officium parvum de Immaculata Deiparæ Virginis conceptione. Similiter mane & veſperi recita binas ſalutationes Angelicas ad honorem S. Joſephi, & B. Aloyſii : & imprimis quidem flecte genua, dum valetudo patitur, junge manus, & hanc intentionem præfige : S. Joſephe, & B. Aloyſi, ad veſtrum honorem recitabo bis Ave Maria; vos offerte Reginæ Matri, & rogate illam per immaculatam ipſius conceptionem, per partum virgineum, & puriſſimam virginitatem, ut ipſa impetrare mihi dignetur a Filio liberationem ab omni eo, quod caſtitati adverſatur, vel certe ſubitam in reſiſtendo fortitudinem. Hac intentione præmiſſa, orabis bis Ave Maria, ſed magno fervore & devotione. Experieris hoc levi remedio conſtanter per plures dies uſurpato, mirabiliter te adjutum iri, vel enim omnino a tentationibus impuris liberaberis, vel gratiam efficacem conſequeris, eas mox, ut adverteris, repellendi. Cum bona venia tui Confeſſarii exerce quædam pœnitentiæ opera, & caſtigationes corporis, v. g. afflige & doma carnem cilicio, catenula ferrea, flagello, cape

ſomnum humi cubans, jejuna; nam ipſo Chriſto teſte, ſunt quædam Dæmonia, quæ non ejiciuntur, niſi in oratione & jejunio.

Ut expugnes firmam peccandi conſuetudinem, v. g. execrandi, iraſcendi, &c. certam tibi ipſi pœnitentiam impone toties ſubeundam, quoties in peccatum tibi familiare prolapſus fueris, talis pœnitentia eſſe poſſet, certam eleemoſynam dare pauperi, ſub veſperum abſtinere cœna, eo videlicet die, quo peccatum conſuetum admiſiſti.

INSTRUCTIO V.

Quid te facere oporteat, dum reipſa tentatio impura oppugnat?

Melius quidem foret ac tutius vitare te omnem occaſionem tentationum carnis; at ſi id fieri nequeat, neque in poteſtate tua ſit, locum ejusmodi deſerere, tum ſequere conſilium illud, quod Leo Pontifex S. Gertrudi ſuggeſſit, & ad ingreſſum talis loci pronuntia illud Davidis: *Fiat Domine cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non confundar.* Pſal. 118. v. 80. Precatiuncula hæc brevis eſt, at ſimul potens ad Dei opem, gratiamque impetrandam, modo ex corde ferventi, & fiducia pleno procedat.

Dum impura cogitatio te infeſtat, quamprimum eam advertis, repelle ocyus, & noli

noli permittere, ut tentatio in corde tuo radices agat, & consensum etiam minimum extorqueat. Sicut enim scintillam ignis e foco in vestes prosilientem subito excutis; & sicut ocyus te vertis ac recurris, dum in via venenatum serpentem offendis; eadem promptitudine & celeritate repellere debes jacula ignita & venenata cogitationum impurarum. Unde quamprimum tentari te sentis, pollice imprime signum crucis pectori, & si non ore, saltem mente protestare: Mi JESU! non consentiam in æternum.

Invoca JESUM tuum, Beatissimam Virginem Mariam, Angelum Custodem. Dic cum D. Thoma Aquinate: Noli permittere Domine JESU, & tu Beatissima Virgo & Mater Maria, ut tam fœdo peccato me commaculem. Vel amplectere consilium, quod V. Bernardinus Realinus, Societatis JESU Sacerdos, & eximiæ sanctitatis vir, adolescenti cuipiam dedit. Is enim cum a Patre Realino remedium peteret contra nocturnas illusiones, fœdaque somnia, id consilii accepit, ut vesperi ante somnum tertio pectus signo crucis muniret, & hæc verba adderet: Purissima Virgo per sanctam Virginitatem tuam emunda carnem meam. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Paruit viri sancti consilio adolescens, & deinceps ab omnibus impuris somniis liber extitit.

Ad-

Admodum etiam ſalubre eſt, ſignum Chriſti crucifixi e collo pendulum geſtare, &, tentatione præſente, illud in manus ſumere, oſculari vulnera, & proteſtari cum D. Bernardo: Deus meus pendet in patibulo crucis, & ego voluptati operam dabo? Malo millies mori, quam ſemel peccare?

Incipe orare Roſarium illud, quod explicatur in parte tertia, Inſtruct. 4. §. 2. & quod experieris frænum eſſe potens ad cohibendos pravos carnis motus, & clypeum eſſe firmum contra omnes Dæmonum impetus.

Neque inconſultum eſt, mutare ſitum corporis, vel dolorem aliquem inferre corpori, ſi tentatio nolit remittere. Sic aliqui tentatione durante mordent linguam, aut labia dentibus, vellicant unguibus nudam carnem brachii, &c.

Ante omnia laborabis, cogitationes tuas alio divertere. Hinc arripe librum, & lege in eo aliquid; deſere cubiculum & ſolitudinem; accede ad domeſticos, vel ad unum aliquem ſodalium tuorum, & iisdem colloquere, etiam de rebus novis; non enim erit colloquium curioſum vel otioſum, quod intentione tam bona inſtituitur.

Summopere cavebis, ne in tentationis æſtu tibi excidat memoria Dei præſentis, ſupremi illius, potentiſſimi & ſeveriſſimi vindicis. Dic age, vellesne peccare, ſi tibi adeſſet,

& tuas impuras actiones contemplaretur Pater tuus, vel Præceptor, vel Dominus, vel Superior, vel Confessarius ? nulla ratione, inquis; tum equidem non peccarem. Quomodo igitur peccare audes, dum Deus Optimus Maximus, non solum est juxta, & coram te, sed etiam intra te, & si vellet, posset eodem momento, quo peccas, corpus tuum & animam perdere in gehennam? Sane castissima illa Susanna Dei præsentis memoria, molestissimam ac periculosissimam carnis tentationem triumphavit : *Angustiæ sunt mihi undique*, inquiebat, *si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius mihi est, absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Dan. 13. v. 22.

INSTRUCTIO VI.

Quid faciendum illi, qui in grave aliquod peccatum, aut in plura, prolapsus est?

IS prima occasione admissa confiteatur, ut imminens æternæ damnationis periculum evadat. Nemo enim certus est, se vel unicum diem victurum. Væ autem illi, qui in statu peccati mortalis morietur. Quodsi nulla detur Confessionis occasio, ocyus contritionem eliciat, & sincere doleat de peccatis suis. Quisquis autem sincere dolet, actu retracta-

ctativo peccata ſua deteſtatur, habetque in ſe hanc voluntatem: vellem me hæc peccata non feciſſe, & ſi adhuc facienda forent, non facerem in æternum.

Dolor hic & deteſtatio ex duplici motivo oriri poteſt, vel enim ideo doles te peccaſſe, quia peccatis tuis meritus es inferni pœnas, & amiſiſti cœli gaudia, & tunc dolor tuus & deteſtatio peccati non eſt niſi contritio imperfecta, quam Theologi vocant, *Attritionem.* Et hæc, accedente Confeſſione, delet peccata admiſſa, ſine Confeſſione non delet. Vel ideo doles te peccaſſe, quia peccatis tuis offendiſti Deum infinite bonum, & tunc dolor tuus & deteſtatio eſt perfecta, & ſimpliciter loquendo, *Contritio*, quæ continuo peccata delet, & in caſu neceſſitatis, etiam absque Confeſſione hominem ſalvat.

Si rogas ulterius, quid ſit dolere de peccatis, quia Deum infinite bonum offendiſti. Si, inquam, id rogas, audi: Tum doles de peccatis ex motivo perfecti amoris divini, & Dei infinite boni offenſi, quando ideo doles, quia Deum offendiſti, optimum tuum Dominum, Parentem, Creatorem, Redemptorem, & Benefactorem ſummum. Quando, inquam, ideo doles, quia Deum offendiſti, qui tibi & ſibi ipſi, eſt infinite bonus & pulcher, adeoque omni amore digniſſimus, quem tu tamen,

men, dum peccaſti, & odio proſecutus es, & graviſſima contumelia, injuriaque effeciſti.

Denique huic dolori deteſtativo debet conjungi propoſitum efficax vitandi non ſolum peccata, ſed etiam proximas peccatorum occaſiones, v. g. qui lapſus eſt in fornicationem, debet apud ſe firmiter ſtatuere: Ego deinceps nunquam fornicabor, & ſimul etiam vitabo conſortium hominis illius, qui me ad fornicationem impulit.

Formula Contritionis ex P. N. Lancicio.

SAnctiſſime Deus, & Pater meus, ego, licet omni bono indigniſſimus, & digniſſimus omni pœna, doleo ex intimo corde, quod te ſummum bonum meum offenderim: & deteſtor peccata mea plus, quam omnia mundi mala, idque ex puriſſimo amore tui, quem agnoſco meliorem omnibus, & ut talem nunc æſtimo, amoque ſuper omnia bona cœli & terræ.

Ideoque propono nunc vitare deinceps omne peccatum, & omnes peccatorum occaſiones; & quæ nondum confeſſus ſum, integre confiteri, & omnia exequi, quæ mihi præſcripſiſti neceſſaria ad ſalutem.

Ut autem hoc reipſa præſtem, & ut remiſſionem peccatorum meorum a te conſequar, offero tibi pretioſiſſimum ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & omnia merita illius, ut

eo-

eorum beneficio, ac per merita & interceſſiones Beatiſſima Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & preces ac merita Eccleſiæ ſanctæ tuæ acceptam tibi exhibeam ſervitutem, ac denique ſalvus evadam, Amen.

Alia Contritionis Formula P. Hieremiæ Drexelii.

DOmine Jeſu Chriſte, verus Deus, & homo, Creator & Redemptor meus, pœnitet me ex toto corde, quod offenderim te Dominum meum, & Deum meum, quem amo ſuper omnia; & propono firmiter, amplius non peccare, omnesque peccandi occaſiones devitare, confiteri, & implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit injuncta.

Et in ſatisfactionem peccatorum meorum offero tibi paſſionem tuam, merita B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, atque omnia opera mea, & totam vitam meam. Et confido in bonitate & miſericordia tua infinita, quod per merita pretioſi ſanguinis tui, mihi remiſſurus ſis omnia delicta mea; & gratiam uberem largiturus, qua vitam ſancte inſtituere, tibique perfecte usque in finem ſervire valeam. Qui cum Patre, ſanctoque Spiritu vivis & regnas Deus in ſæcula benedictus, Amen.

Formula Contritionis brevior, ſerviens articulo mortis.

AMo te, mi Deus, ſuper omnia, & doleo, quod te peccatis meis offenderim, & propono firmiter nunquam amplius peccare.

Adverte autem, peccata quidem actu perfectæ contritionis deleri in periculo mortis, at ubi hoc periculum mortis tranſiit, te adhuc teneri ad Confeſſionem peccatorum admiſſorum; quia contritio perfecta includit voluntatem ſatisfaciendi præceptis omnibus, adeoque & præcepto Confeſſionis.

CAPUT III.

Quid Chriſtianus facere debeat quotidie.

INSTRUCTIO I.

Quæ requirantur, ut quodvis opus ſancte peragatur?

§. 1. *Declarantur conditiones boni operis.*

QUia conditus es, ut in omnibus operibus tuis Deum laudes, nulli alteri in iis placere ſtude, niſi Deo.

Ut vero opera tua placeant Deo, debent 1. fieri in ſtatu gratiæ, peccatum enim mortale facit hominem hoſtem & inimicum Dei, quisquis autem inimicus Dei eſt, quamdiu talis eſt, nihil facere poteſt, quod Deus acceptum habeat.

Debent 2. ipſa opera in ſe non eſſe peccatum, nec grave, nec leve, cum Deus omne peccatum oderit, ac deteſtetur, adeoque omne opus Deo placens, vel eſt ex natura ſua bonum, ut Oratio, ſacrificium Miſſæ, &c. vel ſaltem indifferens, quod accedente intentione bona, bonum fiat, qualia ſunt edere, bibere, ſcribere, laborare, &c.

Debent 3. fieri intentione bona, ad unius Dei gloriam; uti docet Apoſtolus: *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10. v. 31. Atque intentio recta tam eſt neceſſaria, ut etiam opus ex natura bonum; v. g. Oratio, ſi vano fine, nempe ſtudio placendi hominibus peragatur, peccatum fiat, & non Dei gratiam, ſed Purgatorii pœnam mereatur.

Debent 4. fieri bono modo, qui ſi perfectus eſt, ſex potiſſimum conditiones in ſe complectetur. 1. ut opus fiat tempore præſcripto; hinc recitatio precum matutinarum non eſt differenda usque ad meridiem. 2. loco conſueto; hinc comeſtio in templis eſt illaudabilis. 3. ſine peccatis ſubrepentibus, ideoque

que in precibus cavendæ distractiones voluntariæ. 4. magno fervore, sic certi Sancti etiam æstuabant inter orandum, eratque in iis orantibus ardor, qualis esse solet in concionatoribus ferventer dicentibus ad populum. 5. constanter usque ad finem; unde Missam audire dimidiatam, diebus præcipue festis, est illicitum. 6. juxta præscriptum Dei, Ecclesiæ, Superioris tui & Confessarii, & secundum dictamen conscientiæ tuæ, & lumen gratiæ internum, quod in omnibus actionibus tuis sequi debes exacte.

§. 2. *Quæ ante, in, & post opus præstanda sint.*

Ante opus. Bona intentio.

HOc opus faciam ad majorem Dei gloriam, ex puro amore Jesu & Mariæ, & propter animæ meæ salutem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Imploratio divini auxilii.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita. &c.

℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium. ℟. Et tui amoris ignem in eis accende.

Oremus.

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio a te

ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

Si opus, quod aggrederis, ſit paulo majoris momenti, benedictionem Virginis Matris pete pro felici ſucceſſu, & certos Sanctos invoca, qui ea in re excelluere, dum in terris viverent. Sic ante ſtudia Theologica invocari poſſet S. Thomas Aquinas, S. Auguſtinus: ante concionem parandam, vel habendam S. Paulus, S. Joannes Chryſoſtomus, &c.

In ipſo opere.

Memoria Dei præſentis. Deus adeſt mihi, & obſervat, quid cogitem, loquar, faciam.

Renovatio intentionis. O Jeſu! Deus cordis mei, hoc facio propter te.

Orationes jaculatoriæ. Una S. Franciſci Seraphici: Deus meus & omnia. Altera S. Franciſci Xaverii: Mater Dei memento mei.

Poſt opus. Oblatio.

BEnigniſſime Jeſu, ſuſcipe hoc imperfectum opus meum, & per tua, & tuæ Matris merita ſupple defectus, quos in eo admiſi; quidquid in eo boni eſt, tuum eſt, & quidquid mali, meum eſt. Tibi ſoli laus omnis & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen.

IN-

INSTRUCTIO II.

Qua ratione ſurgendum a lecto, & perſolvendæ preces matutinæ.

QUando adeſt ſtatutum ſurgendi tempus, nec momento unico in lecto triceris, ſed ſurge ocyus, ne in te cadat illud Sapientis: *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* Proverb. 26. v. 14.

Primas cogitationes omni conatu ac fervore ad Deum dirige, & utrumque crucis ſignum, majus minusque manu efformans, ore dicito.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. O Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſurgo, ille me benedicat, regat, cuſtodiat, & ad vitam perducat æternam.

Si meditandi peritus es, revoca in memoriam puncta meditationis mox inſtituendæ, cum deſiderio eam inſtituendi bene; ſimul autem agnoſce impotentiam tuam, & tibi ipſi diffidens, confide in Deo.

Admirare Dei bonitatem, tibi præſentem diem adhuc concedentis, poſtquam tot vitæ tuæ dies male impendiſti. Volve animo il-

lud Pauli: *Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Ac propone firmiter, quod hodie Deo perfecte obedire velis in omnibus, quæcunque ipse imperaturus vel inspiraturus est. Vestes indue magna velocitate, silentio, & modestia, idque ob præsentiam Dei, & Angeli Custodis. Nam si modestus es, & verecundus in oculis hominum, quanto magis in conspectu Dei, & Angeli tui. Cave interim alienas a Deo cogitationes; & per pios, ardentesque affectus mentem Deo conjunge, & gratias age Sanctis, Deiparæ, & sanctissimæ Trinitati.

Actus præcipuarum virtutum.

CRedo in te o suprema Veritas. Spero in te o æterna felicitas. Revereor te o tremenda Majestas. Amo te o incomprehensa bonitas. Glorifico te o sanctissima Deitas. Doleo medullitus, quod unquam & usquam te summum bonum meum offenderim.

Aspiratio ad Sanctos.

LAudate Dominum in Sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus: Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.

Ad Deiparam dic tertio.

BEnedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus. Ultima autem vi-

vice adjunge : Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ, Amen.

Ad Sanctiſſimam Trinitatem.

GLoria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Gloria Patri, qui creavit nos; Gloria Filio, qui redemit nos; Gloria Spiritui ſancto, qui ſanctificavit nos. Benedicta ſit ſancta, creatrix & gubernatrix omnium ſancta & individua Trinitas, nunc, & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum.

Lotus pexusque procumbe in genua coram arula domeſtica; aut ſtatua Virginis Deiparæ, & junctis ante pectus manibus, magnoque mentis æſtu preces matutinas perſolve. Ac primo totum diem ſinceriſſima intentione offer Deo tuo.

Intentio bona.

OMnipotens ſempiterne Deus, Deus cordis mei, viva & firma fide credo te hic & ubique præſentem eſſe, & te obſervare omnes actiones & omiſſiones meas; nam tu es ſcrutans corda & renes Deus. Mi ſanctiſſime Domine, & Pater amabiliſſime, Principium meum, & Finis, agnoſco me a te in hunc finem creatum, & ad hanc usque

diem conſervatum eſſe, ut te unum laudem, reverear, & amem, atque idcirco proteſtor coram divino conſpectu tuo, coram Beatiſſima Virgine, & Matre mea Maria, & curia tua cœleſti univerſa me, quoad vivam, tibi uni victurum ac moriturum eſſe. Tuus ſum, tuus ſum ego, ſive vivam, ſive moriar. Tibi conſecro omnia verba, cogitationes, & opera mea, ut hæc omnia cedant ad majorem Dei mei gloriam, & ad ſuaviſſimum divinæ tuæ Majeſtatis guſtum ac beneplacitum; quidquid hodie boni facturus, quidquid mali paſſurus ero: omnes corporis, animique motus, affectiones omnes, omnia gaudia & tædia, tibi offero, mi Deus, in gratiarum actionem, pro omnibus a te acceptis beneficiis, in ſatisfactionem pro omnibus a me admiſſis peccatis, & ad impetrandam gratiam neceſſariam & copioſam te unum & ſolum perfecte amandi, ex hoc nunc & usque in æternum, Amen.

Propone firmiter peccata, in quæ pronior es, ac præcipue illud, de quo particulare examen inſtituis, omni ſtudio cavere, in virtutibus vero, quas Divina Majeſtas a te potiſſimum requirit, ſerio proficere. Conſcius tamen imbecillitatis tuæ, implora opem Patronorum Cœlitum, Angeli Cuſtodis, Deiparæ, & Chriſti Domini:

Invocatio SS. Patronorum.

S. Joſephe, ora pro me.
S. Joachim, ora pro me.
S. Anna, ora pro me.
S. Ignati, ora pro me, &c.

Ita nominatim recenſe cæteros, ac ſimul omnes alloquere.

O Sancti, & Electi Dei, fideliſſimi mei Præſides & Patroni, vos ego obſecro per Chriſtum Jeſum, qui vos elegit, ſanctificavit, & beavit, per perfectam illam charitatem, qua erga Jeſum ſemper arſiſtis, per omnes ærumnas, labores & ſupplicia, quæ amore Jeſu ſubiiſtis, per hæc, inquam, ego vos obſecro & obteſtor, ut mei eſſe memores velitis, & per Mariam a Jeſu, Deo veſtro & meo, gratiam mihi efficacem impetrare, qua adjutus, viam mandatorum Domini hic currere, & aliquando ad patriam cœleſtem pervenire merear, Amen.

Precatiuncula ad Angelum Cuſtodem.

ANgele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hodie illumina, cuſtodi, rege & guberna, Amen.

Ad Virginem Deiparam.

O Domina mea, ſancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie & quotidie, & in hora exitus mei,

animam meam & corpus meum tibi commendo, omnem ſpem & conſolationem meam, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: ut per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita omnia mea dirigantur, ac diſponantur opera, ſecundum tuam, tuique Filii voluntatem, & meam neceſſitatem, Amen.

Ad Chriſtum.

ANima Chriſti ſanctifica me,
Corpus Chriſti ſalva me,
Sanguis Chriſti inebria me,
Aqua lateris Chriſti lava me,
Paſſio Chriſti conforta me;
O bone Jeſu exaudi me;
Intra tua vulnera abſconde me,
Ne permittas me ſeparari a te,
Ab hoſte maligno defende me;
In hora mortis meæ voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad Sanctiſſimam Trinitatem.

DOmine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire feciſti, tua nos hodie ſalva virtute: ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam juſtitiam faciendam noſtra procedant

dant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per Dominum noſtrum, &c.

DIrigere & ſanctificare, regere & gubernare dignare Domine Deus, Rex cœli & terræ, hodie corda & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros, in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut hic, & in æternum, te auxiliante, ſalvi & liberi eſſe mereamur, Salvator mundi, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Jube Domine benedicere. *Benedict.* Dies & actus noſtros in ſua pace diſponat Dominus omnipotens. Amen. Subjunge tertio Pater & Ave, & ſemel Symbolum Apoſtolorum.

Demum accipe in manus ſtatuam Virginis Deiparæ, & his verbis benedictionem pete: Benedic mihi, o Mater mea Maria. Tum imaginare, quaſi ipſa te alloquatur: Benedicat & cuſtodiat te Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Hæc dicens, ſigna te ſigno Crucis, oſculare pedes, & vultum ſtatuæ, & vel meditationi ſequenti, vel aliis te laboribus accinge.

IN-

INSTRUCTIO III.

De operibus certis ſæpius per diem peragendis.

Ad ſignum Salutationis Angelicæ.

ANngelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu ſancto. Ave Maria, &c.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ave Maria, &c.

Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Ave Maria, &c.

Cum horam Campana ſonat.

SIgna pollice pectus, & recita ſemel Salutationem Agelicam. Elice actum Contritionis: Deus, propitius eſto mihi peccatori; vel ſic: Doleo mi Deus, quod unquam te, quem amo ſuper omnia, offendi.

Cum domo egrederis.

MItte Domine Angelum tuum, qui me cuſtodiat in omnibus viis meis.

Cum templum ingrederis.

DOmine, in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Cum

Cum te aqua benedicta aſpergis.

ASperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Doleo Deus meus, quod te ſummum bonum meum unquam offenderim.

Cum Venerabile Sacramentum ſalutas.

AVe verum Corpus natum de Maria Virgine, vere paſſum, immolatum in cruce pro homine: cujus latus perforatum, unda fluxit & ſanguine, eſto mihi præguſtatum mortis in examine. O Jeſu, in te credo, o Jeſu, in te ſpero, o Jeſu, te amo, te revereor, te adoro, mi Jeſu. O bone Jeſu, o pie Jeſu, o dulcis Jeſu. Eſto mihi Jeſus, & fac, ut vivam juxta Spiritum tuum. Inſere cordi meo dulce nomen tuum Jeſus, ut tibi vivam, tibi moriar, o benigniſſime Jeſu.

INSTRUCTIO IV.

Quæ ſit praxis recitandi Roſarii?

§. 1. *De Roſario B. Virginis.*

AD crucem orabis Symbolum Apoſtolorum, ad grana majora Orationem Dominicam, ad minora ſalutationem Angelicam. Et quia Roſarium Deiparæ Virginis triplex eſt: Gaudioſum videlicet, Doloroſum, & Glo-

Glorioſum. Hinc in Roſario Gaudioſo, cum perventum fuerit ad nomen Jeſus, adjicies:
In prima decade: Quem Virgo concepiſti.
In ſecunda: Quem viſitando Eliſabeth portaſti.
In tertia: Quem Virgo genuiſti.
In quarta: Quem in templo præſentaſti.
In quinta: Quem in templo inveniſti.
In Roſario autem Doloroſo additur
In prima decade: Qui pro nobis ſanguinem ſudavit.
In ſecunda: Qui pro nobis flagellatus eſt.
In tertia: Qui pro nobis ſpinis coronatus eſt.
In quarta: Qui pro nobis crucem bajulavit.
In quinta: Qui pro nobis crucifixus eſt.
In Roſario denique Glorioſo additur
In prima decade: Qui reſurrexit a mortuis.
In ſecunda: Qui in cœlum aſcendit.
In tertia: Qui Spiritum ſanctum miſit.
In quarta: Qui te aſſumpſit.
In quinta: Qui te in cœlis coronavit.
In ſexta decade repetes quina myſteria cujusque Roſarii, v. g. in Roſario Gaudioſo, dum primas duas ſalutationes Angelicas recitas, iterabis hæc verba: Quem Virgo concepiſti. Et ſic deinceps.

Totum Roſarium concludes ſolenni illo S. Ignatii dicto: Omnia ad majorem Dei gloriam. Dicesque cum Eccleſia: Fidelium, &c.

§. 2. *De tribus aliis Rosariis, in quibus ad singulas sphærulas certi affectus eliciuntur.*

PRæter Rosarium B. Virginis, plane utilis ac salubris erit recitatio sequentium Rosariorum.

Primum est Rosarium mortis. *Ad crucem revoca in memoriam illud Pauli:* Statutum est hominibus semel mori. *Ad grana minora precare Christum:* Domine Jesu Christe, rogo te per sanctissimam mortem tuam, concede mihi felicem mortis horam. *Ad grana majora suspira ad Dei Matrem:* Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe. *In fine dicito:* Jesu, tibi sit gloria, qui natus es de Virgine, cum Patre & almo Spiritu, in sempiterna sæcula.

Secundum est Rosarium efficax contra omnia peccata. *Ad crucem dic:* In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. *Ad grana majora:* Malo millies mori, quam semel peccare. *Ad tria grana minora:* O æternitas, o æternitas, o æternitas! *In prima decade:* Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. *Loco Orationis Dom. repetatur:* Malo millies mori, quam semel peccare. *In secunda decade:* Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *In tertia:* Rationem reddere debeo

beo de omni verbo otioſo. *In quarta:* Diſcedite a me maledicti in ignem æternum. *In quinta:* Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. *In ſexta:* O æternitas, o æternitas, quam longa es æternitas!

Tertium eſt Roſarium præcipuarum virtutum: *Ad crucem dicitur illud S. Ignatii:* Omnia ad majorem Dei gloriam. *Ad grana majora:* Mi Deus, in te credo, mi Deus, in te ſpero, mi Deus, te amo ex toto corde. *Ad tria grana minora:* Deus meus & omnia: *In prima decade:* Sit nomen Domini benedictum. *In ſecunda:* Ex corde gaudeo, quod tu mi Deus ſis ille, qui es. *In tertia:* Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. *In quarta:* Deteſtor omnia peccata ex amore Dei ſuper omnia. *In quinta:* Propter Deum ignoſco omnibus inimicis meis, & illos ex corde diligo. *In ſexta:* Aut pati, aut mori mi Jeſu.

Hæ praxes recitandi Roſarii uſurpari poterunt, dum incedis per plateas, dum in cubiculo obambulas, dum ad preces longiores ob corporis debilitatem es inidoneus. Neque neceſſe eſt, te ad ſingulas decades novum affectum elicere, & verſiculum alium & alium conſiderare; ſed ſume eum, in quo plus commodi, & guſtus ſpiritualis reperies, ac eum toties repete, quoties lubet. Imo ſi certo affectu te commoveri ſenſeris, eidem pauliſper immorare, ac tum procede ad alium.

IN-

INSTRUCTIO V.

Traditur modus pie & decenter prandendi ac cœnandi.

§. 1. *Quid facere oporteat ante & poſt ſumptum cibum?*

COmeſtioni præmitti debet intentio bona, & preces. Dum ergo ad menſam vadis, ita proteſtaberis apud teipſum: Volo comedere & bibere ad honorem Jeſu & Mariæ. Volo comedere & bibere, quia hæc eſt voluntas Dei.

Deinde crucem formabis, & clauſis oculis, manibusque ante pectus junctis, orabis, ut ſequitur.

Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore oportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria Patri, &c. ℟. Sicut erat &c.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

BEnedic Domine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Cum menſæ accubueris, non extendas ocyus manum ad cibos, ſed modeſte recita ſemel Salutationem Angelicam, ad honorem Virginis ſine macula conceptæ, ut ejus pa-

trocinio ſuperare poſſis ſenſualitatem in cibo, & potu, & tantum comedere & bibere, quantum juſta neceſſitas exigit.

Comeſtione abſoluta ſignum crucis imprimes pectori, & orabis, ut quidquid potionis, cibique ſumpſeris, id omne ad tuam ſalutem, & Dei gloriam cedat.

Ages denique Deo gratias, & ſic precaberis.

Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro univerſis beneficiis tuis: qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter, &c.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc, nunc & usque in ſæculum.

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam, Amen.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.

§. 2. *Quæ inter prandendum & cœnandum obſervanda ſint?*

IN prandio & cœna nihil age, quod ſit contra honeſtatem morum: eſto memor mortificationis: & dum corpus reficitur, vide, ne ſpiritualis refectio negetur animæ.

Ho-

Honeſtas morum a te exigit, ut vites, quidquid indecorum eſt in comedendo & bibendo, & in aliis actionibus; unde non comedes nimis avide, ac ſi ſaturari nequeas; nec ſonos ingratos ore edes, ut comedentes porci; nec inſtar canum oſſa rodes dentibus; nec cochlear ita juſculo implebis, ut effundatur, &c. Similiter in bibendo cavebis, ne ſcyphus repleatur uſque ad ſupremum labium; ne bibas, dum adhuc in ore ſunt cibi; ne inter bibendum circumſpicias; ne ore ſibiles, aut ſorbiles; ne totum ſcyphum exhaurias ſubito; ne ante & poſt hauſtum os tergere negligas, &c. Demum omnes tui motus ſuper menſam erunt compoſiti, & hinc corpus & brachia non ruſtice acclinabis menſæ; nec faciem verſus orbem nimium demittes; nec in orbe luſitabis cultro aut digitis; nec crura decuſſatim impones; nec corpus verſabis inquiete in omnem partem; nec dentes aliis videntibus purgabis, multo minus crebro & in urbane expues, &c.

Mortificationis memor eris, ſi tantum comedas, bibasque, quantum præſcribit neceſſitas, & non quantum ſuadet ſenſualitas; ſi de cibis male forte conditis non querare; ſi cibos lautiores non affectes, imo bolo delicatiori interdum genium tuum ex amore Jeſu defraudes. Neque hæc tibi dura & ar-

dua videantur, quid enim ſunt ad famem, ſitimque, quam tuus pro te Jeſus pertulit? Quid ad famem, ſitimque æternam, quam ſuſtinere in inferno tuis peccatis meruiſti?

Cibus & refectio animæ erunt colloquium, aut lectio pia, & cogitationes, reflexionesque ſanctæ. Itaque ſermones tui ſuper menſam non erunt vani, detractorii, impuri, ſed potius ſacri, utiles, & feſtivi, ſine læſione charitatis. Bonum erit loqui de rebus, pro Concione & Catecheſi auditis. Bonum etiam erit prælegi capitulum aliquod ex libello de Imitatione Chriſti, aut vitam brevem alicujus Sancti. Bonum denique erit, ſanctis cogitationibus animum ſuaviter diſtineri, v. g. dum panem in bolos ſecas, ſingulis vicibus quaterna fruſtilla ſecabis, tria ad honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, quartum ad honorem Virginis Deiparæ: dum bibere pares, prius tacite propinabis Jeſu, Mariæ, Joſeph; & proteſtaberis, te nec guttulam velle ſumere, niſi ad honorem horum trium. Sic guttæ bolique ſinguli ſuo merito non carebunt.

INSTRUCTIO VI.

De Lectione Libri ſpiritualis.

Sic eam accipe, quaſi epiſtolam a cœleſti Sponſo exaratam, in qua ſignificat, quid a te fieri velit.

Quo-

Quotidie aliquid legendum eſt, juxta illud D. Bernardi monitum: *Sed & de quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum eſt, quod fidelius digeratur, & ſurſum revocatum crebrius ruminetur.* S. Bernardus lib. de vit. ſolit.

Non modo ſingulis diebus lectioni vacandum eſt, ſed etiam certo diei tempore, & quidem diebus feſtis plurimum commendo illam horam, quæ ſumptionem Euchariſtiæ, gratiarumque actionem ſubſequitur. Deum orando allocutus es, audi deinceps, quid & ille tibi in lectione ſpirituali loquatur.

Libros lege non multos promiſcue, ſed paucos & ſelectos, quorum lectio accendit voluntatem ad odium peccati, & ad amorem virtutis. Tales libri ſunt Thomas de Kempis de Imitatione Chriſti, Platus de bono ſtatus Religioſi. Opera Spiritualia Ludovici Granatenſis. P. Franciſci Arias. P. Nicolai Lancicii. P. Jacobi Alvarez. Dionyſius Carthuſianus de quatuor noviſſimis. Rodericus de Perfectione. Drexelius de Æternitate. Opera Ludovici Bloſii. Vitæ Sanctorum, &c.

Lege non ſpiritu curioſitatis, aut inani deſiderio multa ſciendi, quantumvis pia, ſed affectu ſincero Deum cognoſcendi clarius, ardentius amandi, & ſtudioſius illi ſerviendi. Refer lectionem illam non tam ad inſtructio-

nem aliorum, quam ad profectum ſpiritualem proprium.

Ut lectio profit, non feſtinanter, ſed lente, & cum aliqua quiete legendum eſt: poſt lectam unam periodum ceſſa pauliſper, & conſidera breviter quidem, ſed profunde, quam verum & neceſſarium ſit, quod proxima periodus proponit, excita etiam in te affectum vitandi, quod damnat, faciendi, quod probat. Interdum brevia quædam ſuſpiria interſere. v. g. Audiam, quid loquatur in me Dominus. O increata lux, illuminans omnem hominem, illumina tenebras meas.

Stude etiam libros legere eo ſpiritu, quo ſcripti ſunt. Ita recte monuit S. Bernardus: *Sed certis ingeniis immorandum eſt, & aſſuefaciendus eſt animus: quo enim ſpiritu ſcripturæ factæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant: Ipſo etiam intelligendæ ſunt.* S. Bernard. lib. de vit. ſolit.

Lectionem uti ab oratione auſpicaberis, ita precatiuncula & oblatione brevi concludes. Juxta monita Inſtructionis primæ de quovis opere ſancte peragendo. §. 2.

INSTRUCTIO VII.

De quotidiano & generali Conſcientiæ Examine.

MOs valde laudabilis eſt eorum, qui bis de die conſcientiam ſuam excutiunt, & Exa-

Examen generale, de omnibus operibus a ſe peractis, inſtituunt. Tu, qui nimium per diem occupatus es, ſaltem veſperi examen perages. Examen hoc puncta quinque complectitur.

I. *Gratiarum actio.*

DEus meus & omnia, non eſt finis miſerationum tuarum erga me miſerum hominem. Sponte tua creaſti me ex nihilo, ad imaginem & gloriam tuam, & ad ſalutem meam: redemiſti me inæſtimabili pretio tui ſanguinis: contuliſti mihi juſtificationem in Baptiſmo, & educationem in vera fide. Quam paterne omnibus diebus vitæ meæ, etiam hodierno, corpus & animam meam conſervaſti? Quot momenta vixi, tot mille & mille beneficia a te accepi. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Amabiliſſime Pater, gratias tibi ago ex toto corde, & in gratiarum actionem tibi offero laudes creaturarum omnium, merita Sanctorum tuorum, ac præſertim glorioſiſſimæ Virginis ac Matris Mariæ, & infinita merita Jeſu Filii tui. Ex corde grato cum Virgine Matre pronuntio: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

II. *Petitio luminis.*

SAnctiſſime Deus, benigniſſime Pater, imperfectum meum viderunt oculi tui, & tolerarunt patienter: illumina cæcitatem cor-

dis mei, & accende frigidum pectus meum, ut penitus agnoscam, animitus detester, perfecte emendem omne id, quo infinitam tuam Bonitatem, supremamque Majestatem & hodie, & unquam alias offendi. Pater noster. Ave Maria.

III. *Discussio Conscientiæ.*

PErcurre omnes diei horas, & considera, quomodo, & quando surrexeris, quo pacto preces matutinas persolveris, qua ratione te gesseris in audiendo Sacro, perficiendis negotiis, sumendo prandio, &c. perpende, quid quavis hora cogitaris, dixeris, feceris, aut omiseris, quod oculis Divinæ Majestatis displicet.

IV. *Actus contritionis perfectæ.*

Mi sanctissime Domine, & benignissime Pater, estne hæc gratia pro omni amore & beneficiis tuis, quibus me prævenisti? O me ingratum hominem, & plane degenerem filium! Tu me amas, etsi omni amore indignum, & ego te non amavi hactenus, sed offendi te sæpius, qui propter infinitam bonitatem, quam habes in teipso, & propter immensam misericordiam, quam effudisti in me, omne possibili amore & cultu dignissimus es.

Misericordissime Pater (sic te appello, etsi appellare non merear) quis modo sum ego, qui tibi coram hic asto? Ego sum filius ille pro-

prodigus, qui tot pretiosissimas horas, tot dona Divinæ gratiæ tuæ, tot occasiones servitii tui neglexi turpiter, imo male impendi. Pastor fidelissime, ego sum ovis illa perdita, quæ propria libertate abusa pastorem suum deseruit, & se in fauces infernalis lupi conjecit. Benignissime Domine Deus, optime, maxime, doleo animitus, & est hoc intimum vulnus cordi meo, dum cogito, quod te Deum meum, summum & unicum bonum meum offenderim. Doleo & gemo, non quod peccatis meis pœnas æternas, aut temporales sim meritus (quanquam hoc mali satis est) nec quod perdiderim complures gratiæ tuæ, & gloriæ thesauros (quanquam & hoc damnum omnia terrena damna superat) sed ideo pure doleo, quia cor Dei mei contristavi, quia te offendi, qui es Pater meus, Creator meus, Redemptor meus, & summus meus Benefactor: quia peccavi tibi, qui es tibi ipsi & mihi summum bonum meum. Ideo pudet me mei, & meipsum confundo in Divino conspectu tuo.

Clementissime Pater, obsecro te per pretiosum illum sanguinem, quem Filius tuus pro me effudit; per virginea Mariæ Matris ubera, quæ Filius tuus pro me suxit; per merita & opera Sanctorum tuorum, quibus gloriam tuam propagarunt; per tuam immensam bonitatem, noli agere mecum secun-

dum juſtitiam tuam, nec ſecundum mea merita, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

V. *Propoſitum emendationis.*

DEus, Deus cordis mei, deteſtor coram te, & retracto omnia peccata mea, & ſi, quæ feci, adhuc facienda forent, non facerem in æternum. Malo millies mori, quam vel ſemel mortale ſcelus admittere, & iterum deliberate te Deum meum offendere. Cavebo etiam deinceps omnes cujuscunque peccati occaſiones, & hoc temporis momentum erit finis vitæ meæ imperfectæ, & principium vitæ ſanctioris. Omnia verba mea, cogitationes, & opera, ad unam Dei mei gloriam cedent. Sic ſtatuo, ſic firmiter propono, tibi ſoli deinceps vivere & mori. Tu, mi Deus, reſpice in faciem Chriſti tui Jeſu, Salvatoris mei, dilectæ Matris Mariæ, Angeli Cuſtodis, & ſanctorum Cœlitum Patronorum, & qui dediſti velle, da perficere.

INSTRUCTIO VIII.

Preces veſpertinæ, & quies nocturna.

PEracto conſcientiæ examine, non ocyus diſcedes cubitum, ſed prius te ſanctis tuis Patronis, Angelo Cuſtodi, Virgini Deiparæ, ſanctiſſimæ Trinitati commendabis.

Ora-

Oratio ad SS. Patronos.

BEnedico vos & laudo ſancti Patroni mei, & gratias ago pro beneficiis omnibus, quæ veſtro patrocinio hodie & unquam alias ſum adeptus. Doleo, quod gratiis per vos impetratis tam male reſponderim, & perfectiſſima vitæ veſtræ exempla tam ſegniter ſim æmulatus. Reſtaurate obſecro per ardentiſſimam charitatem veſtram, quidquid in obſequio Dei mei neglexi: cuſtodite hac nocte corpus a morbis & ſubitanea morte, animam ab omni Dæmonis illuſione. Orate pro me ſemper, quia ſemper ope veſtra indigeo, ut vobiſcum aliquando beatus Deo meo fruar in æternum, Amen.

Ad Angelum Cuſtodem.

DEus, qui ineffabili providentia ſanctos Angelos tuos ad noſtram cuſtodiam mittere dignaris; largire ſupplicibus tuis, & eorum ſemper protectione defendi, & æterna ſocietate gaudere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Ad Deiparam Virginem.

DEfende, quæſumus Domine, B. Maria ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis. Per Dominum noſtrum.

Ad

Ad DEUM.

TE lucis ante terminum, rerum Creator poſcimus, ut pro tua clementia ſis præſul & cuſtodia.

Procul recedant ſomnia, & noctium phantasmata, hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora.

Præſta, Pater piiſſime; Patrique compar Unice, cum Spiritu Paraclito, regnans per omne ſæculum, Amen.

Antiph. Salva nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes, ut vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace. ℣. Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi. ℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Oremus.

VIſita, quæſumus Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Dominum noſtrum, &c.

Pater noſter. Ave Maria. Credo.

Pro Defunctis.

DE profundis clamavi, &c.

Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace, Amen.

Pete benedictionem a Virgine Matre, ut in Precibus matutinis.

Ve-

Veſtes depone magna verecundia, & cave, ne teipſum, multo minus alios nudos aſpicias, nec ab illis te nudum aſpici patiaris. Veſtibus depoſitis, ocyus lectum ſubi, ne corporis nuditate oculos Numinis & Angeli præſentis offendas.

Dum teipſum & lectum aqua benedicta aſpergis.

ASperges me Domine hyſſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Doleo Deus meus, quod te ſummum bonum meum offenderim.

Dum veſtes exuis.

QUietem captabo mi Jeſu, quia ſic placitum eſt ante te, ut vires corporis reſtaurem, & divino tuo obſequio tanto aptior fiam. Mi Jeſu, quoties per noctem reſpiro, toties tu a me ſis benedictus, ut in cœlis te Seraphim tui benedicunt & Cherubim. Mi Jeſu, in te credo, mi Jeſu, in te ſpero, mi Jeſu, te amo ſuper omnia. Tibi vigilo, tibi dormio, tibi vivo, tibi morior, amantiſſime Jeſu.

Dum lectum ſubis.

IN nomine Domini mei Jeſu Chriſti crucifixi vado cubitum, qui me pretioſo ſuo ſanguine redemit, ille me benedicat, cuſtodiat, & ad vitam perducat æternam.

In

In lecto.

JEsus meus moritur in dura cruce, & ego quiesco in molli lecto. O Jesu, quam multi homines, sanctiores me, in dura humo jam cubant, & ego in molli culcitra jaceo. In Mariæ gremium, & Jesu vulnera commendo corpus & animam meam. Vivant Jesus, Maria, Joseph, amores mei æternum vivant!

CAPUT IV.

Quid Christianus facere debeat diebus Festis.

INSTRUCTIO I.

De sacrosancto Missæ Sacrificio.

§. 1. *Explicatur breviter, quid sit Missa.*

MIssa a nemine alio instituta est, quam a Christo ipso in ultima cœna, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. v. 19.

Imo Christus primus omnium Missam celebravit; quia primus omnium consecravit, obtulit, & sumpsit sacratissimum suum Corpus & Sanguinem.

Est

Eſt igitur celebrare Miſſam nihil aliud, quam conſecrare, offerre, & ſumere Corpus & Sanguinem Domini.

Et Miſſa ipſa eſt ſacrificium incruentum, in quo Chriſtus Patri æterno offertur.

Voco ſacrificium incruentum, quia Chriſtus ſeipſum bis obtulit; ſemel cruente cum viſibili effuſione ſanguinis in cruce; deinde incruente, & ſine viſibili ſanguinis effuſione in ultima cœna.

Cauſa autem, cur Chriſtus Miſſam inſtituerit, eſt; quia voluit in Eccleſia ſua eſſe juge & æternum ſacrificium, quo Deus ſumme coleretur; quod eſſet memoriale mortis ſuæ, & quod prodeſſet vivis & defunctis. Eſt enim Miſſa ſacrificium valde efficax, vi cujus peccator veniam, juſtus gratiam majorem, defunctus redemptionem ex purgatorio, univerſa Eccleſia opem in rebus temporalibus, & æternis conſequitur.

§. 2. *De Ceremoniis Miſſæ, & veſtibus Sacerdotalibus.*

CEremoniæ, quæ adhibentur in Miſſa, inſtitutæ ſunt ab Eccleſia, eo fine, ut ſumma illa myſteria magna devotione & reverentia tractentur.

Ceremoniæ omnes, uti & veſtes ſacerdotales, habent ſuam myſticam ſignificationem.

Sic

Sic humerale denotat velum illud, quod Christi faciem tegebat, quando alapis cædebatur a Judæis dicentibus: *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit.* Matth. 26. v. 68.

Alba sacerdotalis animis nostris ingerit vestem albam, in qua fuit illusus ab Herode; Stola, manipulus & cingulum, catenas & funes, quibus collum, brachia, & corpus Christi fuere constricta.

Casula chlamydem exhibet purpuream, in qua a Pilato productus est ad Populum. Crux in casula, indicium est crucis a Christo bajulatæ; uti & corona in capite Sacerdotis, signum est coronæ spineæ, quæ sacratissimo Christi capiti fuit imposita.

Calix & patena nobis ob oculos ponunt sepulchrum Christi, & lapidem sepulchralem; Corporale & mappæ altaris sacratissimam sindonem, qua Christus mortuus fuit involutus; altare ipsum, crucem, in qua cruente, & mensam ultimæ cœnæ, in qua incruente Redemptor noster oblatus est.

Candelæ autem, quæ in altari ardent, significant Christum, dum in passione & morte obscuraretur, mansisse lucem mundi, & lumen ad revelationem gentium.

Est itaque Missa tota, commemoratio passionis & mortis Christi, juxta illud Apostoli: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc,*

&

& calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. 1. Cor. 11. v. 26.

§. 3. *De auditione Missæ.*

QUisvis homo Christianus ex præcepto Ecclesiæ obligatur sub peccato mortali ad audiendam Missam diebus Festis & Dominicis.

Obligantur etiam pueri, dum sunt rationis capaces, & discernere norunt, quid sit bonum & malum; quod communiter contingit post septimum ætatis annum.

Contra hoc præceptum graviter peccant, qui sine rationabili & urgente causa, ex mera negligentia vel totam Missam, vel notabilem ejus partem audire omittunt.

Similiter peccant & graviter ii, qui diebus Festis uni solum Sacro intersunt, & hoc ipsum vel totum, vel magnam ejus partem fabulis aut somno traducunt.

Laudabiliter faciunt, qui Missam audiunt indies, & si nullum de ea re præceptum extet; nam quotidiana Missæ auditio copiosam benedictionem & opem pro quavis necessitate meretur & impetrat.

Missam semper audies reverenter & devote. Reverentia a te exigit, ut vites fabulas, & evagationes oculorum, ut ores decenti corporis compositione, manibus jun-

ctis, genibus flexis, nisi dum statur ad utriusque Evangelii lectionem.

Devotio postulat, ut Missam audias intentione bona, in eaque ores attente, & ferventer, præsertim circa præcipuas Missæ partes, quæ sunt Offertorium, Elevatio, Communio.

Hinc bonum est, illis partibus peculiariter advertere, & precibus aliis tantisper omissis, certas devotiones, iis convenientes exercere: sic tempore Offertorii Missam cum Sacerdote offer: tempore Elevationis percute pectus, & elice actus præcipuarum virtutum, etiam renova vota, si quæ feceris: tempore Communionis communica spiritualiter.

ORATIONES
Tempore Sacri dicendæ.

Oratio Præparatoria.

VEni Creator Spiritus, &c.
Antiph. Veni sancte. *Oratio.*
Actiones nostras, &c.

Intentio bona.

OMnipotens sempiternæ Deus, ego totum hoc sacrificium, omnesque preces meas ad hanc intentionem offero, ut Divinam tuam Majestatem laudem, colam, & oblectem, ut gratias agam pro omnibus beneficiis tuis, ut mihi, NN. & omnibus Chri-

Christi-fidelibus, peccatorum veniam, augmentum gratiæ, benedictionem in spiritualibus & temporalibus impetrem per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Hymnus Angelicus.

GLoria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, Jesu Christe, Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu, in Gloria Dei Patris, Amen.

Ad Credo.

Quando illud dicitur, recita cum Sacerdote Symbolum Nicenum.

Symbolum Nicenum.

CRedo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium: Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non

factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: & resurrexit tertia die secundum Scripturas: & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas: Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam: Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum: Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, Amen.

Ad Offertorium.

SUscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis JEsu Christi Domini nostri; & in honorem B. M. semper Virginis, & beati Joannis Baptistæ, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & istorum, & omnium Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, & illi pro nobis intercedere dignen-

tur

tur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Praxis faciendi Memento ante Elevationem pro vivis.

MEmento clementiſſime Pater Eccleſiæ tuæ ſanctæ, eamque ceu ſponſam Filii tui protege & exalta. Memento etiam Domine NN. benefactorum, & malefactorum meorum, omniumque, pro quibus orare teneor, & qui preces meas expetierunt, atque hos omnes gratia tua dirige in viam ſalutis æternæ.

Ad Elevationem.

PErcute pectus tertio, & dic: Deus propitius eſto mihi peccatori.

Ave mundi Salvator, Verbum Patris, verum ſacrificium, Dominus meus, & Deus meus. Deus meus, & omnia. In te credo, in te ſpero, te amo ſuper omnia.

Ago tibi gratias Domine pro omnibus beneficiis tuis, pro omni adverſitate & proſperitate.

O Domine, libera me ab omni peccato, quod deteſtor, & vitare volo propter te, quem amo ſuper omnia.

O Domine, propter te ignoſco omnibus inimicis & perſecutoribus meis.

Propter te Domine paratus ſum ad quamcunque crucem ferendam: ſed tu adjuva me

in neceſſitatibus meis, & exaudi humiles preces ſervi tui.

Praxis faciendi Memento poſt Elevationem pro Defunctis.

MEmento, clementiſſime Pater, omnium Fidelium Defunctorum, maxime NN. & requiem eis æternam indulge, per merita Chriſti, B. Virginis, & omnium Sanctorum, Amen.

COMMUNIO SPIRITUALIS,

In ſe complectens quatuor actus.

I. Eſt Contritio.

O Deus meus, doleo ex animo, de omnibus peccatis meis, quia te offendunt, qui infinite bonus es, & Divinæ tuæ diſplicent Majeſtati.

II. Deſiderium Euchariſtiæ.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue, quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnas.

III. Agnitio tuæ indignitatis.

DOmine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea. *Sic repete tertio.*

IV.

IV. Petitio Gratiæ Sacramentalis.

COrpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Anima Chriſti ſanctifica me, &c. 252.

DEus, qui diligentibus te bona inviſibilia præparaſti, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum; ut te in omnibus, & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Dominum, &c.

Ad finem Sacri.

IN Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt: in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes, hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem

filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Oblatio totius Missæ.

PLaceat tibi sancta Trinitas, obsequium servitutis nostræ, & præsta: ut Sacrificium, quod oculis tuæ majestatis indigni obtulimus, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus oblatum est, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum.

INSTRUCTIO II.

De Concione, & Catechesi festiva.

ETsi non obligeris præcepto gravi, ut diebus Festis & Dominicis Concioni interfis, aut Catechesi, uti obligaris ad audiendam Missam, est tamen auditio Concionis aut Catecheseos tibi summe necessaria: quod enim panis quotidianus est corpori, hoc verbum Dei est animæ; uti testatur Christus: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Matth. 4. v. 4.

Ab una Concione vel Catecheſi ſæpe pendet æterna hominis ſalus. Quam multi peccatores, unica Concione audita, reſipiſcunt? Quam multi juſti iis rebus, quas a Concionatore, didicerunt, ſe a peccatis præſervant, & innocentiam tuentur?

Hinc ex mente virorum ſanctorum, & doctorum, divinæ prædeſtinationis ſignum eſt, ſi quis Conciones libenter audiat; uti & reprobationis ſignum eſt, ſi quis Conciones faſtidiat; non enim fallunt illa Chriſti verba: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Joan. 8. v. 47.

Unde vides, tempore Concionis debere te alias occupationes ſeponere, & properare ad templum; alioqui dicetur tibi a Chriſto: *Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima, porro unum eſt neceſſarium.* Luc. 10. v. 41.

Unde etiam vides, male agere parentes illos, qui non ſunt ſolliciti, ut liberi ſui, famuli, ancillæ Conciones diebus Feſtis frequentent: illos vero agere peſſime, qui eosdem ſine gravi cauſa a Concionibus audiendis impediunt. Sane de hac negligentia ipſi parentes & Domini graviſſimam Deo rationem ſunt reddituri.

Si quæris, utrum Catecheſis, an Concio magis expediat pueris puellisve, ajo, magis

expedire Catecheſin, in qua breviter & clare explicantur, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt.

Adverte tamen, melius eſſe, ſi a teneris non Catecheſi ſolum, ſed Concioni etiam audiendæ aſſueſcamus. Similiter adultis ſæpe expediens, ac neceſſarium eſt, ut explicationi Catecheſos adſint; cum multi adulti ipſis pueris rudiores ſint.

Porro, ut Concio & Catecheſis fructuoſe frequentetur, ſequentia ſedulo obſervanda ſunt.

Statim a principio pie & ferventer Spiritus ſancti gratiam implorabis, ut ſementis verbi Divini in te, aliisque copioſe fructificet. Illum in finem orabis ſemel Orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem, vel Hymnum: Veni Creator Spiritus, &c.

Concionem vel Catecheſin audies integre, a principio usque ad finem; tum quia Deus non delectatur multis & imperfectis operibus, tum quia auditor non referet ſolidum fructum, niſi totam Concionis, aut Catecheſeos ſeriem percipiat.

Audies etiam attente, ſine ſomno, evagatione oculorum, ac præcipue cavebis fabulas: fabulæ enim in templis ſunt cæteris Fidelibus ſcandalo, Angelos Cuſtodes offendunt, Chriſtum in Euchariſtia præſentem in-

inhonorant. Satius est, te e templo emanere, quam Conciones totas fabulando traducere.

Quod dicitur, non aliis, sed tibi ipsis applica: nam qui mensæ assidet, non aliis, sed sibi comedit & bibit.

Unum saltem aut alterum punctum observa, quod domi parentibus, famulis & ancillis narrare possis.

Concione & Catechesi finita, offer illam, uti omne aliud opus, Deo, & tibi, aliisque gratiam pete, conservandi & conferendi omnia verba hæc in corde tuo.

Si ante, & post Concionem vel Catechesin canatur, tu simul concine, & voce tua cum aliis Deum dilauda. Inter canendum stude esse attentus, nec unicum versiculum omitte, ut tanto magis Deum glorifices.

E templo discede cum silentio & modestia angelica; quia te exeuntem, moresque tuos contemplantur Angeli, & Angelorum Rex, Christus JEsus.

INSTRUCTIO III.

De Confessione Sacramentali.

§. 1. *Quæ requirantur a Pœnitente, ut Confessionem Sacramentalem bene instituat?*

DEbet verus Pœnitens peccata sua examinare; de illis dolere cum serio emenda-

dationis propoſito; eadem confiteri; & ſatisfactione & pœnitentiis expiare.

Peccata examinari debent ſedulo, & cum omni diligentia, cum a tali examine pendeat ſalus hominis. Siquidem enim ex negligenti voluntaria præparatione peccatum in confeſſione omittatur, confeſſio non modo erit nulla, ſed novum peccatum. Unde patet, quam male ſibi conſulant, qui ſine debita præparatione in confeſſionalia involant.

Examinanda ſunt peccata, quæ verbo, cogitatione, & opere, contra Deum, te ipſum, & proximum admiſiſti.

In examinandis autem peccatis noli eſſe nimis anxius: ſatisfacies enim coram Deo, ſi diligentiam adhibeas moralem & humanam, qualis adhiberi ſolet in aliis magni momenti negotiis.

Conjicere peccata in chartam, conſultum eſt, ſi es labilis memoriæ, & facile unius, alteriusve peccati in confeſſione exprimendi, obliviſcaris; de cætero id non eſt neceſſarium.

Conſcientia rite diſcuſſa, contritionem elicies de omnibus peccatis tuis, & eorundem emendationem firmiter propones. Contritio ipſa & emendationis propoſitum debent eſſe comparata, uti in *Secunda Parte*, *Inſtruct. 6.* declaratum eſt: debentque elici ante Confeſſionem, vel ad minimum in ipſa con-

confeſſione, ante abſolutionem Sacramentalem.

Confiteberis delicta tua humiliter, ideoque cavebis vanas delictorum tuorum excuſationes, & admonitionem Sacerdotis grato & libente animo acceptabis. 2. Breviter, ne Confeſſarium detineas narratione hiſtoriarum prolixarum, & circumſtantiarum ſuperfluarum, multo minus accuſatione aliorum. 3. Sincere, unde non quæres crimina palliare, & extenuare, ſed candide & rotunde, honeſte tamen eadem edices. 4. Plene, exprimendo non ſolum peccata omnia, quæ noſti, ſed etiam eorundem numerum, v. g. Omiſi tertio Miſſam die Dominico, juravi ſexies falſo per animam meam, &c. Qui numerum certum ignorat, exprimat veriſimilem. Quisque autem ſummopere caveat, ne ſciens volens lethale aliquod crimen in confeſſione diſſimulet; nam hoc eſt ſcelus mortale, imo ſacrilegium, & ſæpe ipſo peccato, quod tacetur, gravius.

At, inquis, pudet me certas noxas confiteri, præſertim quas admiſi contra caſtitatem. Obſecro te, vince hunc pudorem, & has ipſas etiam labes ſincere enuntia: præſtat enim coram uno homine cunfundi, quam coram toto mundo, quod alioqui infallibiliter in die judicii continget.

De-

Denique explebis pœnitentiam & satisfactionem, quam Sacerdos imposuit pro delendis pœnis purgatorii. Explebis autem ocyus a confessione peracta; satisfactio enim est pars integrans Sacramenti: ac tum omni studio deinceps cavebis peccata omnia, & peccatorum occasiones, cogitabisque tibi dici a Christo, quod olim Paralytico dixit: *Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Joan. 5. v. 14.

§. II. *Monita, quæ Pœnitenti, ante Confessionale, vel in ipso Confessionali sunt observanda.*

DUm ante Confessionale confides, non fabulaberis, non circumspicies oculis, non inverecunde & impetuose aliis protrusis, te in Confessionale ingeres; nam hi mores non sunt mores peccatoris se humiliantis, & Deum placantis, sed potius de novo irritantis.

Omnem ergo moram, quæ ante Confessionale trahenda est, exiges in silentio, modestia & precibus, quæ confessioni præmitti solent.

Nulla ratione aucupaberis, quid Pœnitentes alii in Confessione Sacerdoti aperiant, & si ii loquantur altius, tu vultum avertes, & aures obturabis, ne quid intelligas; imo, si quod peccatum ab altero in confessione di-

dictum, casu intellexisses, nulli mortalium illud vulgabis, sed æterno silentio sepelies.

Similiter, si chartulam reperisses, in qua confessio alterius scripta foret, noli illam legere; sed ut primum confessionem esse adverteris, non lectam in ignem projice.

In ipso Confessionali dum fueris, pete benedictionem a Sacerdote; recita Confiteor, &c. Indica, quando sis ultimo confessus, si id Sacerdos ignorat; aperi peccata tua breviter, clare, humiliter, plene, confessionem claude precatiuncula, quæ contritionem, & emendationis propositum contineat; adverte diligenter, quid Sacerdos te moneat, & quam pœnitentiam imponat, & si non intellexisti, interroga.

Dum absolveris, cogita te cum Maria Magdalena sedere ad pedes Domini, ab eoque tibi dici: *Remittuntur tibi peccata. Vade in pace.* Luc. 7. v. 48.

Absolutione percepta, pete veniam communicandi, in quo est laudabilis illorum mos, qui Communionem petunt per amorem Beatissimæ Virginis; nam sic Communio tua magis erit meritoria, ex triplici capite, obedientiæ videlicet, humilitatis, & amoris in Virginem Matrem.

ORA-

ORATIONES
ANTE CONFESSIONEM.

Prima.

SAnctiſſime Deus, & Pater meus, &c. *Supra pag. 159.*

Secunda.

DOmine JEſu Chriſte, verus Deus & homo, &c. *Supra pag. 160.*

Tertia.

MI JEſu doleo, doleo mi JEſu, ex toto corde doleo, ex intimis viſceribus & medullis animi mei, quod te, mi JEſu, ſummum & infinitum bonum unquam offenderim. Utinam, mi JEſu, dolor hic meus procederet ex unico illo & puriſſimo motivo ſummi illius ſinceriſſimi & ardentiſſimi amoris, qui unquam vel S. Petri, vel Auguſtini, vel Magdalenæ, vel ullius alterius vere ac ſincere pœnitentis cor & animam penetravit. O mi pulcherrime, o mi ſuaviſſime, o mi ſumme atque optime JEſu, Dominus meus, & Deus meus, pœnitet me, contriſtor & conturbor, non quod pœnas inferni aut purgatorii promeritus ſim, quas & credo, & timeo: non quod cœleſti gloria excidere dignus ſim, quam & credo, & ſpero; ſed pure ſolum amore tui, quod te offenderim, o JEſu, qui bonus es ſuper

omne

omne bonum : pulcher ſuper omne pulchrum : amabiliſſimus ſuper omnia Deus; quem amo, & amabo ſuper omnia, in æternum, o JEſu, JEſu, JEſu!

Quarta.

DOmine JEſu Chriſte, Deus meus, & Salvator meus, qui ad ſalvandos peccatores in mundum veniſti, ignoſce mihi, & ſalva me. O Deus meus, quid agam? quid dicam? peccavi coram te, & contra te, benigniſſime Creator, & dulciſſime Redemptor, miſerere mei Domine. Agnoſco Domine ſcelera mea, & tibi confiteor, condona illa. Deſtitutus ſum Domine omni pietate, viliſſimus & infirmiſſimus peccator ſum, nihil ſum, nihil ex meo valeo, adjuva me Domine, & miſerere mei. Utinam te Domine nunquam offendiſſem; utinam nunquam ad iram provocaſſem; utinam Deus ſemper voluntati tuæ ſatisfeciſſem. Remove a me Domine, quidquid tibi displicet in me, & mihi nocet. Propono, Domine, me adjuvante tua gratia, te non amplius offenſurum, occaſionesque delinquendi omnes viraturum. O piiſſime JEſu, miſerere mei miſeri & abominandi peccatoris. Indignus ſum a terra ſuſtentari; ſuſcipe me tamen per tuam miſericordiam, ac ſanctiſſimæ vitæ, paſſionisque tuæ merita; nec non ob benedictæ Matris

tuæ, Sanctorumque omnium interceſſiones. Omnia ſcelera & negligentias vitæ meæ, conjicio in tui immenſi amoris flammas, & infinitam miſericordiæ tuæ abyſſum, in ſacratiſſima tua vulnera, ut in iis conſumantur, mihiqne pœnitentiam injungo. Lava me Domine pretioſiſſimo ſanguine tuo, quia una illius gutta ſufficit ad ſalvandum totum mundum. Sana me Domine ab omnibus plagis meis, quia tu es fons omnis ſalutis. Sanctifica me, auctor ſanctitatis. Deus meus, largire mihi ſanctum judiciorum tuorum timorem. Concede mihi bone JEſu, dolorem & odium mei ipſius. Da dulciſſime mi Domine robur ad mortificandas meas paſſiones. Da mihi, ut rectum de me feram judicium. Da, ut ſevere a me exigam pœnas ad ſatisfaciendum juſtitiæ tuæ. Da mihi Salvator, ut quamcunque pœnam, tribulationem, contemptum, libenter recipiam in ſatisfactionem pro delictis meis. Da, ut potius diligam mori, quam peccare. Da, ut non modo timeam, fugiamque peccata gravia, ſed etiam levia. Da mihi firmiſſimum propoſitum, non amplius peccandi. Da mihi gratiam perſeverandi, & pœnitentiam tota vita agendi,

Amen.

IN

IN CONFESSIONE.

Petitio Benedictionis: Benedic Pater.

Confessio generalis.

CONfiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere.

Post dicta peccata dicito.

DE his, & omnibus aliis peccatis meis doleo ex intimo corde, quod Dominum Deum offenderim, & peto pœnitentiam & absolutionem.

Sub ipsa absolutione.

O JEsu, infinite amabilis, doleo propter te, quod toties nunc, & tota vita offenderim te; a peccatis in sanguine tuo lava me: amo, & amabo te, ex hoc, nunc, & in æternum: non permittas me separari a te; sim totus tuus, & tu totus meus in æternum, Amen.

POST CONFESSIONEM.

Prima.

SIt tibi Domine obsecro meritis Beatæ semper Virginis, Genitricis tuæ Mariæ: & omnium Sanctorum, grata & accepta ista confessio mea, & quidquid mihi defuit nunc, & alias de sufficientia contritionis, de puritate & integritate confessionis, suppleat pie-

tas & misericordia tua; & secundum illam digneris me habere plenius & perfectius absolutum in cœlo. Qui vivis & regnas, &c.

Secunda D. Bernardi.

IN unione doloris tui, quo causam doloris mei assumpsisti, & emendationem pro peccatis meis suscepisti, Domine JEsu Christe, cum universitate dolentium, & vere pœnitentium, & te in veritate quærentium, confiteor tibi omnia peccata mea, mala commissa, & bona omissa, vel non pure aut negligenter facta, sicut tu nosti ea in numero, pondere, & mensura, & dies perditos vitæ meæ, in quibus te offendi, & laudem tuam minui, & a te summo bono cecidi, & proximum simul in casum traxi.

Suscipe ergo Domine de mea misera vita residuum annorum meorum; pro his vero, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Dies mei declinaverunt, & perierunt sine fructu; impossibile est enim, ut revocem eos, sed placeat tibi, ut cogitem eos in amaritudine animæ meæ.

Domine, abyssus profundissimæ miseriæ meæ, abyssum invocat altissimæ misericordiæ tuæ. Ne contineas in ira miserationes tuas, & fontem inexhaustæ misericordiæ tuæ circa me exsiccari non permittas propter pec-

peccata mea: qui misereris omnium, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.

Tuum est Domine, remittere peccata, miserere mei, quia jam tempus est gratiæ & miserationis, & cum tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis, ne in die consummationis me feriat verbum maledictionis.

Fac me, quæso Domine, assueta mala relinquere, & tibi placita opera agere, & studium, quod hucusque in peccatis exercui, te adjuvante deinceps in tua voluntate exerceam, ut ubi abundavit delictum, tua gratia abundet.

Et rogo te per temetipsum, & per amorem piissimæ Matris tuæ, gloriosæ Virginis Mariæ, & per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, atque Electarum tuarum, ut ignoscas omnibus peccatis, negligentiis, & ignorantiis meis; & ne perdas me cum iniquitatibus meis, neque in finem iratus reserves mala mihi.

Recordare Domine JEsu, quia tuum non est perdere ex eo, quod Pater tuus dedit tibi; sed tuum proprium est misereri & parcere; neminem perdere, sed salvare, quia Pater tuus misit te in mundum, non ut judices mundum, sed ut vitam habeat per te, ut sis pro nobis, non contra nos.

Quod enim debuimus, tu ſolviſti: quod peccavimus, tu luiſti: quod negleximus, ſuppleſti. Proficiat ergo Domine nunc, & in extremis meis plenaria ſatisfactio tua: amara mors tua, & pretium fuſi ſanguinis tui, renovatio ſatisfactionis tuæ, venerabile myſterium corporis & ſanguinis tui, quod tibi quotidie offertur in Eccleſia pro ſalute fidelium; in quo es tu ipſe Sacerdos & ſacrificium: ille, qui offertur ad promerendum in præſenti gratiam, quam non merui; ad obtinendum in futuro requiem, & gloriam, quam tua pia paſſio impetravit.

Imperfectum meum Domine viderunt oculi tui, ſed tu, pie Deus, ne imputes mihi ad æternum ſupplicium, qui omnia ad ſummum & perfectum bonum optime & perfectiſſime præordinaſti. Et ne permittas me deleri de libro vitæ: ſed offer mihi portionem, quæ me contingit in ſubſidium mei, videlicet pretioſæ paſſionis, qua hominem voluiſti habere tibi cohæredem in terra viventium.

Te igitur Domine moveat & inclinet ad miſericordiam humanæ fragilitatis conſideratio, quia noſti, quæ ſit hominis ſubſtantia, & quod non vane conſtitueris hominem ſuper terram. Et conſerva in me opus tuæ pietatis, ne in caſſum circa me laboraveris,

&

& ne infructuosa sit in me immaculati cruoris tui effusio.

Tu, qui es purificationem faciens peccatorum, præsta, ut emundatus a peccatorum sordibus, & illuminatus acie mentis, cognoscam te: atque cognoscens, in directione cordis mei jugiter ad te tendam, & aspirem, ut felici exitu ad te merear pervenire, JEsu Christe, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

TABULA PECCATORUM.

Contra Primum Præceptum.

ADvertenter dubitare de aliquo fidei articulo. Tentationibus contra fidem negligenter resistere. Legere libros hæreticos. Audire conciones hæreticorum. Sumere Communionem, sive Eucharistiam apud hæreticos. Gestare schedulas superstitiosas contra vulnera. Sanitatis causa recurrere ad anus incantatrices. Credere somniis. Discere artes magicas. Verbis Scripturæ sacræ ad facetias, & res turpes abuti.

Desperare de emendatione vitæ, de impetranda salute. Cogitationes pusillanimes non serio rejicere. In adversis contra Deum murmurare. Peccare liberius, præsumendo de Dei misericordia. Si semel peccasti, ite-

rum peccare, quod eadem confessione sint omnia delenda.

Blasphemare Deum, Sanctos, vulnera Christi. Dicere Sacramenta te perdant. Impedire alium a piis operibus, v. g. ab ingressu in Religionem. Irreverentia afficere Imagines, & Reliquias Sanctorum.

Superbire in donis naturæ. Gloriari & jactare se de peccatis admissis, de divitiis, pulchritudine, ingenio, &c. Ex respectu, & timore humano opus quoddam, v. g. Confessionem, & Communionem crebram omittere.

Contra secundum Præceptum.

JUrare falso per animam, per Deum. Jurare sine necessitate, etsi verum jures. Jurare cum imprecatione, Deus me puniat, diabolus me auferat. Jurare cum damno alterius. Promissa juramento firmata violare. Votum legitime factum non servare.

Contra tertium Præceptum.

OPera servilia sine necessitate exercere diebus Festis, eadem aliis facienda præcipere. Sacrum integrum, aut notabilem ejus partem omittere, v. g. venire post lectum Evangelium. Magnam partem Sacri traducere fabulis, somno, distractionibus voluntariis. Non curare, ut Sacro intersint, qui

tibi

tibi sunt subditi. Negligere conciones vel omnino, vel ex parte. Non invigilare, ut domestici tui conciones audiant. Dies festos lusu, otio, choreis, obambulationibus terere. Ire ad confessionem sine prævio examine, sine contritione, & proposito emendationis. In confessione scienter subticere aliquod grave scelus. Toto anno nec semel confiteri, nec semel communicare. Omittere pœnitentiam in confessione impositam. Communicare cum conscientia peccati mortalis, quod nondum es confessus. Communicare, postquam aliquid bibisti aut comedisti. Sacramentum aliquod administrare in statu peccati mortalis. Omittere recitationem horarum canonicarum, ad quam obligaris. Omittere preces solitas, mane, vesperi: opera pœnitentiæ. In precibus esse distractum voluntarie, vel certe data causa. Distractiones negligenter repellere. Circumvagari oculis. Orare sine reverentia exteriori. Temere violare bona sua proposita alias concepta. Divinis inspirationibus non parere. Comedere carnes diebus prohibitis. Violare graviter aut læviter jejunium.

Contra quartum Præceptum.

MUrmurare contra Parentes & Superiores, eisdem non obtemperare. Verbis contumeliosis & asperis eosdem excipere. Minari illis verbera, imo reipsa verberare.

rare. Imprecari illis mortem. His in notabili neceſſitate non ſuccurrere. Non exequi voluntatem parentum, teſtamento declaratam. Si Superior, aut parens ſis, vide, an ſubditos tuos peccantes correxeris, an eosdem ſcitu neceſſaria doceri curaveris. An infirmos Sacramentis muniri neglexeris. Decimas non ſolvere.

Contra quintum Præceptum.

INdignari in animo. Impatientiam foris prodere. Ex impatientia ſibi, aliisve imprecari diabolum, mortem, grave damnum, idque vel ex ſubito motu, vel animo deliberato. Odium fovere adverſus alterum, & eidem nolle ignoſcere. Verberare, vulnerare, occidere proximum. Gaudere de gravi malo alterius, dolere de ejusdem bono. Exprobrare alteri defectum corporis, paupertatis. Rixari cum aliis libere. Dare cognomina, vocare furem, meretricem. Irridere, &c.

Contra ſextum & nonum Præceptum.

TEmpus perdere otio. Intemperantius edere & bibere. Inebriare ſe & alios. Habere turpes cogitationes & motus, & poſt aliquam advertentiam negligenter repellere. Plene advertere ejusmodi cogitationes, & tamen voluntarie iisdem immorari, imo conſentire. Hic exprimendum in confeſſione, an cogitationes fuerint circa perſonam liberam,

ram, conjugatam, consanguineam, religiosam, aut quam scias fecisse votum castitatis. Item, an cogitationes fuerint de aspectu, an de tactu, an de ipso actu fornicationis. Loqui verba obscœna, eadem libenter audire. Idem de cantilenis. Legere libros impudicos. Curiosius aspicere fœminam. Turpiter aspicere seipsum, aut alias personas. Ducere choreas inhonestas. Dare oscula animo lascivo. Seipsum aut alios impudice tangere. Ipsum peccatum carnis opere explere: explicetur species peccati. Turpibus somniis voluntarie se oblectare, quando evigilasti. V. etiam Memoriale Granat. l. 2. c. 8. & 9.

Contra septimum & decimum Præceptum.

FUrari aliquid. Exprimenda est quantitas rei furto sublatæ. Velle aliquid furari, & desiderare rem alienam. Mercenariis & famulis non solvere mercedem, aut ejus solutionem diu differre. Vendere rem ultra justum pretium. Emere res furtivas. In vendendis mercibus uti iniquo pondere & mensura. Pecunias a parentibus ad victum collatas, in lusus & compotationes insumere. Inter ludendum alios fraudare, & fraudibus lucrari summam notabilem. Movere litem injustam, & ea prosequi. Furari in templo. Si famulus aut œconomus es, perpende, an fideliter servieris, laboraris, &c.

Con-

Contra octavum Præceptum.

MEntiri leviter, jocoſe, cum damno alterius. Divulgare occultum peccatum proximi, licet ſit verum. Crimen falſum alteri imponere. Libenter audire detrahentem alteri, nec impedire, cum potes, & teneris. Contumeliis alios laceſſere. Suſpicari male de aliis. Temere judicare, & in malam partem accipere dicta & facta proximi. Secreta ſibi credita revellare. Aliorum literas illis inſciis aperire.

INSTRUCTIO IV.

Qua devotione percipi debeat Sacramentum Euchariſtiæ.

§. 1. *Quæ præſtanda ſint ante Communionem?*

AD divinam hanc eſcam præparabis te non ſolum ipſo Communionis die, ſed die etiam præcedenti; & hoc quidem Confeſſionem, ſi per occupationes liceat, inſtitues, exercebis opus aliquod pœnitentiæ, leges aliquid ex libello pio, & preces veſpertinas ſolito ferventius perſolves.

Per Confeſſionem expiabis animum ab omni etiam veniali noxa, ne quid in te lateat, quod oculos puriſſimi illius ad te venturi hoſpitis offendat.

Ope-

Opera pœnitentiæ ante Communionem exercenda, esse possunt flagellatio, gestatio cilicii, aut catenulæ ferreæ, jejunium pridianum, &c. & si hæc tibi difficiliora videbuntur, saltem in cœna uno alterove bolo abstinebis, ex amore & spe cibi illius divinioris.

Lectio pia instituetur de Communione ipsa, v. g. ex libro quarto de Imitatione Christi. Ex Tractatu P. Rodericii de Eucharistia, aut alio simili Scriptore pio.

Ipso die Communionis, dum tempus adest surgendi e lecto, surge ocyus, & tibi dictum puta illud Sponsi: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Cant. 2. v. 10. Surges itaque circa quintam aut quartam matutinam, cum maximus ille Dominus a te excipiendus, dignissimus sit, cui summo mane obviam eatur. Preces item matutinas omni devotione possibili recitabis.

Ut primum domo egrederis, cogita tibi dici ab Angelo tuo Custode: *Ecce Sponsus venit, exite obviam ei.* Matth. 25. v. 6. & tum in consortio tui Angeli, pulchra morum compositione incede per plateas. Noli itaque oculos jactare in omnem partem, obvios quosque alloqui, sed modeste ad templum perge, quia Christus, qui in templo sub speciebus Eucharisticis latet, etiam per ipsos muros & parietes contemplatur, qui te in plateis geras.

Ad

Ad templum cum perveneris, aſperge te aqua luſtrali, fac intentionem bonam, & offer Communionem tuam, totamque devotionem Deo, in gratiarum actionem pro beneficiis, in ſatisfactionem pro peccatis propriis & alienis, ad impetrandam gratiam pro te, aliisque.

Tempore Sacri, quod a principio audies, ora vel roſarium, vel alias preces usque ad elevationem. Ad elevationem autem orare incipies preces certas ſanctorum Patrum, in quibus exprimuntur pulchri affectus deſiderii, amoris & reverentiæ erga S. Communionem & humiliationibus tui ipſius, &c.

§. II. *Quid in ipſa perceptione Euchariſtiæ ſit obſervandum?*

ACcede ad altare, dum minima eſt compreſſio populi.

Accede autem modeſtia & compoſitione morum plane Angelica, quia Angelorum Rex eſt, ad quem pergis.

Inceſſus ſit moderatus, nec tardus, nec celer nimium; manus ante pectus erectæ & junctæ; oculi in terram dejecti. Cave, ne ex puerili pudore & reſpectu humano hanc modeſtiam omittas: in tanto enim opere, non debes attendere homines leviculos, ſed Deum, quid a te fieri velit. Quamquam & multi pii & prudentes homines ejusmodi mo-

modeſtiam non ſolum in allis probant, ſed etiam ipſi, dum ad ſacram Synaxin accedunt, in ſe ipſis exprimere ſtudent.

Ad ſcamnum Communicantium dum perveneris, noli impetuoſe agere, ut prævertas alios, ſed exſpecta, usque dum ordo accedendi ad te devenerit.

In ſcamno Communicantium flectens, ſubde manus ſacræ mappæ, & ſuavi elegantia eam pectori admove, ut ſi caſu aliquo ſacratiſſima Hoſtia e manibus Sacerdotis elabatur, non in veſtes tuas, aut in terram, ſed in mappam ſubſtratam decidat, adeoque facile recipi poſſit.

Hoſtiam a Sacerdote porrectam excipe ſedens erectus & immotus, oculis modeſte dejectis, ore decenter, ſed ſufficienter ſimul aperto.

Hoſtia ori impoſita, paulum in lingua quieſcat, deinde ſuavi pietatis ſenſu deglutiatur. Eadem ut commodius deſcendat, poteris aliquid vini ſumere ex ſcypho, poſt Communionem præberi ſolito.

Ea reverentia a Communione recede, qua acceſſiſti, & eo in loco flecte, in quo majori quiete & commoditate devotioni tuæ vacare poſſis.

* ** *
** * **

§. III.

§. III. *Quodnam ſit officium tuum, Communione jam percepta?*

POſt Communionem, mediam circiter horam, precibus impende, atque imprimis quidem JEſum, quem in pectore geſtas, ſaluta; deinde præcipuas virtutes exerce: tertio te, aliosque Chriſto commenda: quarto age gratias, quod ſub tectum cordis tui, etſi male præparatum, intrare dignatus fuerit.

Quodſi ulterius pietati tuæ indulgere velis, poteris recitare Roſarium, Litanias Lauretanas B. Virginis, de omnibus Sanctis, de Venerabili Sacramento, &c.

Si die, quo communicas, Indulgentias plenarias lucrari liceat, noli lucrum illud negligere. Sed quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro concordia Chriſtianorum Principum, extirpatione hæreſum, exaltatione Catholicæ Eccleſiæ recita, ut indulgentias lucreris. Sin vero defunctis applicari poſſint, Chriſtiana charitas a te exigit, ut eisdem applices.

Ex reverentia Communionis perceptæ, non continuo in terram expues, ſed ſi intra primum a Communione ſumpta quadrantem expuendi neceſſitas urgeat, in ſtrophiolum mundum expuatur.

Si-

Similiter ex reverentia diviniſſimi illius cibi, quo fruitus es, non ſtatim a Communione comedes & bibes, ſed mediam ſaltem horam jejunus manebis.

Diem reliquum, ſi feſtus eſt, tranſige piis colloquiis, cantu, lectione, precibus. Vide, adſis Concioni, Catecheſi, Veſperis, Completorio. Si vero dies eſt feriatus, poteris eum traducere labore manuum, & interim ſanctis cogitationibus occupare animum. Ante omnia autem cavebis peccata omnia, omnesque inſolenitas, & quidquid diſplicere poteſt maximo illi hoſpiti, quem in corde tuo excepiſti.

ORATIONES ANTE COMMUNIONEM.

Prima S. Ambroſii.

Ad menſam dulciſſimam convivii tui, pie Domine JEſu Chriſte, ego peccator de propriis meritis nihil præſumens, ſed de tua confidens miſericordia & bonitate, accedere vereor, & contremiſco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem & linguam non caute cuſtoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majeſtas! ego miſer inter anguſtias deprehenſus, ad te fontem miſericordiæ recurro: ad te feſtino ſanandus. Sub tuam protectionem fugio,

& quem judicem ſuſtinere nequeo, Salvatorem habere ſuſpiro. Tibi Domine plagas meas oſtendo, tibi verecundiam meam detego, ſcio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo, ſpero miſericordias tuas, quarum non eſt numerus. Reſpice in me oculis miſericordiæ tuæ, Domine JEſu Chriſte, Rex æterne, Deus & homo: crucifixus propter hominem. Exaudi me, ſperantem in te, miſerere mei pleni miſeriis & peccatis: tu, qui fontem miſerationis nunquam manare ceſſabis. Salve ſalutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis & pretioſe ſanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei JEſu Chriſti profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo ſanguine redemiſti; pœnitet me peccaſſe, cupio emendare, quod feci. Aufer ergo a me, clementiſſime Pater, omnes iniquitates & peccata mea, ut purificatus mente & corpore, digne deguſtare merear ſancta Sanctorum, & concede, ut ſancta prælibatio corporis & ſanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio; ſit delictorum meorum perfecta purgatio; ſit turpium cogitationum effugatio; bonorumque ſenſuum regeneratio: operumque tibi placentium ſalubris efficacia; animæ quoque & corporis con-

contra inimicorum insidias firmissima tuitio, Amen.

Secunda D. Thomæ Aquinatis.

OMnipotens sempiterne Deus, ecce, accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui, Domini nostri JEsu Christi. Accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus, ad Dominum cœli & terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut te Panem Angelorum, Regem Regum, Dominum Dominantium tanta suscipiam reverentia & humilitate, tanta contritione, tanta puritate & fide, tali proposito & intentione, sicut expedit animæ meæ. Da mihi, quæso, Domine, Dominici Corporis & Sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed etiam rem & virtutem Sacramenti: O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui, Domini nostri JEsu Christi, quod traxit de Virgine Maria: sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari: & inter ejus membra numerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari.

Tertia.

Ave verum Corpus, natum ex Maria Virgine, vere paſſum, immolatum in cruce pro homine: cujus latus perforatum, unda fluxit & ſanguine. Eſto mihi præguſtatum mortis in examine. O clemens, o pie, o dulcis JEſu Fili Mariæ, miſerere mei, Amen.

ORATIONES IN ACCESSU AD COMMUNIONEM.

Prima.

DOmine JEſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu ſancto, per mortem tuam mundum vivificaſti: libera me per hoc ſacroſanctum Corpus & Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, & univerſis malis: & fac me tuis ſemper inhærere mandatis: & a te nunquam ſeparari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Secunda.

PErceptio Corporis tui, Domine JEſu Chriſte, quod ego indignus ſumere præſumo, non mihi proveniat in judicium & condemnationem: ſed pro tua pietate proſit mihi ad tutamentum mentis & corporis, &

ad

ad medelam percipiendam. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti Deus, &c.

Tertia.

CRedo in te, o ſuprema Veritas. Spero in te, o æterna Felicitas. Revereor te, o tremenda Majeſtas. Amo te, o incomprehenſa Bonitas. Glorifico te, o ſanctiſſima Deitas. Doleo medullitus, quod unquam & usquam offenderim te.

ORATIONES POST COMMUNIONEM.

Prima.

ANima Chriſti ſanctifica me. Corpus Chriſti ſalva me. Sanguis Chriſti inebria me. Aqua lateris Chriſti lava me. Paſſio Chriſti conforta me. O bone JEſu exaudi me. Intra vulnera tua abſconde me. Ne permittas me ſeparari a te. Ab hoſte maligno defende me. In hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Secunda.

PUrificent nos, quæſumus omnipotens & miſericors Deus, Sacramenta, quæ ſumpſimus: & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, præſta: ut hoc tuum Sacramentum

non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum, sit, vivorum, atque mortuorum fidelium, remissio omnium delictorum. Per Dominum.

Tertia.

TRansfige, dulcissime Domine JEsu, medullas ac viscera animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque & Apostolica sanctissima charitate, ut langueat & liquefiat anima mea solo semper amore, & desiderio tui. Te concupiscat, & deficiat in atria tua, cupiat dissolvi, & esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem & saporem, & omne delectamentum suavitatis. Te, inquam, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat, & comedat cor meum: & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Te semper sitiat fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei. Te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui cum humilitate & discretio-

tione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & effectu, cum perseverantia usque in finem. Et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, ducedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, & possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma, & immobiliter radicata semper sit mens mea, & cor meum, Amen.

Quarta.

INeffabilem misericordiam tuam, Domine JEsu Christe, suppliciter oro, ut, quod indignus suscepi, Corporis & Sanguinis tui Sacramentum, quo nihil admirabilius, excellentius, fructuosius, mihi sit purgatio scelerum, fortitudo fragilium, contra mundi pericula firmamentum: sit præterea impetratio veniæ, stabilimentum gratiæ, & medicina vitæ: sit insuper memoria tuæ Passionis, remedium contra debilitatem fomitis, & viaticum meæ peregrinationis. Euntem me deducat, errantem reducat, revertentem suscipiat, titubantem teneat, cadentem erigat; meque perseverantem demum in gloriam tuam læte introducat. Ad hæc, altissime Deus, Corporis & Sanguinis tui præ-

ſentia beatiſſima cordis mei palatum ſic immutet, ut præter te nullam unquam ſentiat pulchritudinem, nullum illicitum quærat amorem, nullam deſideret conſolationem, nullam admittat delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem; ſed totum tibi vivat, ut in gratia tua conſerver, donec ad te veniam, ac unus afficiar ſpiritus tecum in ſæcula ſæculorum, Amen.

Quinta.

GRatias tibi ago, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ, ſaturare dignatus es pretioſo Corpore, & Sanguine Filii tui, Domini noſtri JEſu Chriſti, & precor, ut hæc ſancta Communio non ſit mihi reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam, ſit mihi armatura fidei, & ſcutum bonæ voluntatis, ſit vitiorum meorum evacuatio, concupiſcentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio, contra inſidias inimicorum omnium, tam viſibilium, quam inviſibilium, firma defenſio: motuum meorum, tam carnalium, quam ſpiritualium perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhæſio, atque finis mei felix conſum-

ſummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, & Spiritu ſancto, Sanctis tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, jucunditas conſummata, & felicitas perfecta, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRAXIS ALIA DEVOTE COMMUNICANDI.

Præparatio ante Communionem.

Ad templum ubi perveneris, eum in locum te recipe, in quo orationi quietius vacare poſſis. Conſultum erit, meo judicio, iſtic procumbere in genua, ubi venerabile Sacramentum, ſiquidem expoſitum eſt, intueri, & ſuavi atque amoroſo Dilecti intuitu cor tuum exhilarare, & divini amoris æſtu fortius accendere valeas.

In eo Miſſæ ſacrificio, in quo menſæ ſacræ accumbes, poteris orare vocaliter usque ad Offertorium, inde usque ad Elevationem Hoſtiæ, breviter apud teipſum expendes magnam illam & exceſſivam charitatem, qua Chriſtus JEſus te non modo per omnem ſuam vitam, ſed in ſanctiſſima quoque Paſſione & Morte complexus eſt; præſertim cum myſterium hoc, etiam ex prima inſtitutione, memoriale ſit mortis Domini.

O JEſu, Deus cordis mei, quam igneus eſt amor tuus erga me, & quam frigidus eſt amor meus in te! Quam multa tu mea cauſa, & quam parum tua cauſa ego hucusque ſuſtinui! Propter me deſeruiſti æterni Patris gremium, & intra tenella Virginis viſcera homo factus es, infans natus es in ſtabulo Bethlemitico, educatus in Ægypto, & id quidem in paupertate, in contemptu, in penuria rerum neceſſariarum, in laboribus a juventute tua. Amabiliſſime JEſu! tam parvum & contemptibilem te fecit amor tuus, quo adverſus me ardebas. Propter me multa difficilia & laborioſa itinera ſuſcepiſti: percurriſti pagos & oppida: ubique prædicaſti Evangelium ſalutis, in fame & ſiti, in æſtu & frigore, in vigiliis & oratione, in defatigatione corporis animique; & interim quo zelo, qua invidia, queis odiis erga te Judæi exarſerunt? Quam continuas contradictiones ferre coactus es? Quot calumnias, & maledicta, & blasphemias ſuſtinuiſti? Quam graves omnis generis injurias es perpeſſus? & tamen ſubiiſti hæc omnia mente non ſolum quieta & placida, ſed liquidis etiam gaudiis referta. O agne manſuetiſſime! tam te laborioſum & patientem effecit amor ille, quo cor tuum divinum erga me ingratum hominem flagrabat. Non hic quievit amor tuus. Ille, inquam, amor

in

in horto Gethſemani ſudorem ſanguineum copioſum tibi expreſſit, ut eſſet animæ meæ fœdæ & peccatricis ſalutare balneum: Amor te colaphis & fuſtibus diriſſime contudit, ne ego, ſervus durus & refractarius, ſciens voluntatem Patris tui, & non faciens, a Patre multis vapularem: Amor te ab Herode illudi voluit, tanquam fatuum, ut occulta ſapientiæ tuæ manifeſtarentur mihi: Amor te Judæis accuſandum tradidit tanquam malefactorem, ut ego juſtificarer: Amor te a Pilato condemnari fecit, tanquam hominem ſeditioſum, & regni affectatorem, ut tuus ego fierem cohæres regni cœleſtis: Amor innocentiſſimum corpus tuum in flagellatione mille vulneribus concidit, quæ fierent medicamenta, & ſalus animæ meæ: Amor te regem ſæculorum immortalem ſpinis coronavit, ut ex iis mihi naſceretur immarceſſibilis corona æternæ gloriæ: Amor exhauſto tuo corpori grave Crucis onus impoſuit, juſſitque ferre principatum ſuper humerum, ut in manus meas inderetur aliquando ſceptrum regni: Amor denique voluit, ut pro me, non amico, ſed hoſte tuo, diriſſimam & ignominioſiſſimam Crucis mortem, inter latrones medius, ſubires. O amor ſingularis, admirabilis, divinus, immenſus, incomprehenſibilis, qui Creatorem pro creatura, Regem pro ſubdito, Judicem pro reo, Deum

pro

pro homine in mortem tradidit. Sic mi JEsu, sic dilexisti me, qui omni odio sum dignus, & ego quomodo vicissim dilexi te, qui dilectionem tui infinitam mereris?

Agnosce ingratitudinem tuam erga talem Redemptorem, & emendationem propone.

Ah mi JEsu! quam dilectionem dilectioni tuæ rependi? Pudet eloqui, eloquar tamen, quia verum est. Amorem tuum compensavi ego non amore, sed odio. Tu es Creator meus, qui mihi corpus dedisti & animam? Tu es Redemptor meus, & redemisti me pretioso sanguine tuo: Tu es summus meus Benefactor, a quo innumera accepi beneficia, & a quo omne bonum expecto in cœlis: Tu ex te ipso es bonitas infinita, pulchritudo inconceptibilis, ens perfectissimum, captum omnem excedens: Tu in te, & propter te, omni amore, cultuque dignissimus es, & tamen tam fœdis, tamque gravibus peccatis te lacessere sum ausus. Doleo medullitus, quod te summum bonum meum offenderim. Doleo, quod te offenderim, qui ille es, qui es; Ego filius impius contristavi te parentem optimum, tu impietatem hanc mihi condona: Ego cliens ingratus te summum benefactorem meum sum aspernatus, tu ingratitudinem meam ne recogites. Ego vilissimus terræ vermiculus

te

te infinitæ Majeſtatis Dominum contempſi, tu temeritatem hanc meam ignoſce: Ego homo vaniſſimus & ſtultiſſimus nugis meis & vanitatibus poſtpoſui infinitam bonitatem meam, & pluris mihi fuit cupiditas mea, quam ſanctiſſima tua voluntas. O benigniſſime JEſu, ne conſideres hanc inſipientiam meam. Corde contrito deteſtor peccata mea omnia, quia diſplicent Divinæ Bonitati tuæ, cui merito in omnibus placere deberem. Abominor, tot furta & damna, quæ gloriæ tuæ malis actibus toties intuli. Revoco & retracto tot graviſſimas injurias, queis tremendam tuam Majeſtatem, & immenſam bonitatem afficere, contemnere, imo conculcare non horrui. Pœnitet me iſtius diei, horæ, momenti, quo, præ pulcherrimo Creatore, turpes creaturas dilexi. Sane, nullum jam in orbe malum eſt, quod ita oderim ac peccatum, nec ullum eſt in orbe bonum, quod ita amem, ac te, mi JEſu. Te, te, mi JEſu, diligam deinceps omnibus viribus corporis, & animæ meæ. Serviam Majeſtati tuæ corde perfecto, & omnia, quæ intra & extra me ſunt, benedicent nomini ſancto tuo.

* * *

Sub-

Subjunge propoſita particularia, & ſimul memor infirmitatis tuæ, deſidera roborari per Euchariſtiam.

SEd quia novi imbecillitatem meam, ad te ſuſpiro, mi JEſu, ut ubi deficio ego, ibi me gratia tua confirmet. Ægrotus deſidero Medicum, ut tu me perfecte ſanes, o JEſu. Immundus propero ad fontem vitæ, ut tu me laves, o JEſu. Cæcus videre opto Solem Juſtitiæ, ut tu me illumines, o JEſu. Eſuriens & ſitiens anhelo paſci corpore & ſanguine tuo, ut tu me plene ſaties, o JEſu. Tu ſponſus es animæ meæ. Ah! quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ.

IPSA PERCEPTIO SACRÆ COMMUNIONIS.

Dum Sacerdos pronuntiat: Domine non ſum dignus, *tu quoque humilia te, & ſubmiſſime JEſum tuum adora.*

QUis ſum ego, & quis tu, mi JEſu! ut optem te mihi, & me tibi adeſſe? Tu es Deus Deorum in Sion, & ego homo peccator ſuper terram. Tu es magnus Dominus, & laudabilis nimis. & ego parvus in oculis tuis, & contemptibilis valde. Tu es omnipotens conditor cœli & terræ, ego fra-

fragile opus manuum tuarum. Tu es perfecta ſanctitas, omnis honeſti regula, & omnis puritatis origo, ego colluvies ſcelerum, & omnium imperfectionum cloaca. Tu ſupremus Cœli Monarcha, coram quo contremiſcunt Angeli, Rex Regum, & Dominus Dominantium; unde & ego timens & tremens aſſiſto tibi? Adoro te, & adorans tibi flecto genua cordis & corporis mei. Ego viliſſimus vermiculus humilio me ſub potenti manu tua; adrepo ad ſcabellum Diviniſſimorum pedum tuorum, & agnoſco te eſſe Omnia, & me nihil eſſe, niſi merum Nihil. Nec mereor, mi JEſu, ut veniam ad te; nec decens eſt, ut tu venias ad me. Et tamen deſidero te, quia egeo tui, & gratia tua. Ne deficias, nec triſteris anima mea; audi, quid loquatur Dominus: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. O ſuaviſſime JEſu, in hoc verbo tuo & ego ad te venio, feſtino, curro, volo, non meis confidens meritis, ſed tuæ innixus Bonitati; patrocinio Virginis Matris, & ſanctorum Cœlitum, Patronorum meorum. Amantiſſima Mater mea Maria, da mihi JEſum Filium tuum, quem concupiſco, & in quem cor & caro mea exultant.

Ut primum linguam Dilectus attigit, ini cum eo certamen amoris, & corde igneſcente, ac ita ſerio planeque ſentiente, proteſtare:

Mi JEſu, mi ſuaviſſime JEſu, tu es mihi dulcior ſaccharro, ſuavior melle, carior vita, jucundior omni voluptate, pretioſior auro & gemmis. Tu mihi pulchrior es ſuper omne, quod pulchrum eſt, ſapiens ſuper omnem ſapientiam, amabilis & optabilis ſupra omne bonum, quod amari & deſiderari poteſt. Imo, mi JEſu, tu es vita mea, dulcedo mea, gaudium meum, theſaurus meus, pulchritudo mea, ſapientia mea, gloria mea, labor meus, & merces laboris mei, meta & quies omnium deſideriorum meorum, Deus cordis mei, Deus meus, & omnia. Nihil me ſeparabit a te, nihil te a me. Tu meus es, & ego tuus ſum, idque æternum: Tu eris, quod ego, & ego, quod tu, ita tamen, ut non tu in me, ſed ego muter in te: ut tu maneas, qui es, nempe JEſus, nempe ſanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth.

EXERCITIUM PIETATIS POST COMMUNIONEM.

In hanc horam cadit, quod ait Sapiens: Particula boni diei non te prætereat. Unde parum

rum laudabiliter faciunt, qui Christo in pectus introducto, & ad loquendum parato, statim abeunt, audituri vocem concionantis hominis, vel librum aliquem lecturi spiritualem, vel, quod pessimum est, negotiis domesticis vacaturi. Hoc tempus ejusmodi est, quo tu Dilecto, & quo ipse tibi colloqui desiderat. Unde nec probo, oculos tum temporis defigi in pias imagines. Claude externos, & internos mentis oculos conjice in tibi præsentem Dilectum, & cum eo loquere, sicut amicus cum amico de facie ad faciem loqui solet.

Principio itaque, ubi a Communione redux genua flexeris, dic cum Sponsa:

Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

Actibus Fidei, Spei, & Charitatis, tanquam amica salutatione, Dilectum excipe.

Actus Fidei.

CRedo in te, o suprema Veritas. Firma & viva fide credo te JEsum Deum verum ac hominem in hoc Sacramento substantialiter præsentem esse. Credo, quidquid in Scripturis sacris revelasti, & quidquid per Ecclesiam credendum proponis, sive scriptum sit, sive non sit. Et hæc omnia credo, quia tu dixisti, qui es verax sapientia, sine ullo errore: & sapientissima

ſine ullo mendacio Veritas. Utinam, mi JEſu, pro hac fide vitam daretur & ſanguinem profundere, & id quo citius, hoc foret gratius. Hæc eſt votorum meorum ſumma, mi JEſu.

Actus Spei.

SPero in te, o æterna felicitas, tu es deſideriorum finis, cupiditatum perfecta quies, & humanæ mentis plena ſatietas. A te ſpero, mi Deus, copioſam benedictionem gratiæ tuæ in hac vita, & plenitudinem viſionis beatificæ in altera. Agnoſco imbecillitatem meam, & mihi ipſi diffido in omnibus, ſed per te adjutus, poſſum omnia. Tu me juvare potes, quia es inexhauſta potentia; Tu noſti juvandi modum, quia noſti omnia; Tu vis juvare, quia non eſt finis miſerationum tuarum; Tu etiam teneris, ut juves, quia promiſiſti, & quia in verbis tuis fidelis es, & verax. Ideo proteſtor cum Apoſtolo tuo: Omnia poſſum in eo, qui me confortat.

Actus Charitatis.

AMo te, o incomprehenſa Bonitas. Amo te, Deus meus, plus quam me, imo odi meipſum, ut te amplius amem. Amo te ſuper omnia, quia tu præ omnibus es infinita amabilitas. Amo te ſolum, & nihil præ-

præter te, & omnia in te, quia nemo bonus, niſi ſolus Deus. Tu ſolus tibi ipſi es ſummum bonum, tu ſolus tibi ipſi es omnia. Propterea amo te, quia mihi & tibi es beatitudo indeficiens; bonitas inexhauſta; gaudium liquidiſſimum; pulchritudo immarceſſibilis & æterna; & opto animitus, ut diligere te poſſim perfecte, ardenter, unice, conſtanter, beate, in omnem æternitatem, Amen.

Magno candore, ſubmiſſione, fiduciaque omnes animæ corporisque neceſſitates Dilecto expone.

Deſiderium humilitatis.

HUmillime JEſu, imperfectum meum viderunt oculi tui. Homo ſum ego, ſuperbus & arrogans, qui horreo contemni, & laudari amo. Si me magni faciunt homines, gaudeo; doleo, ſi confundar. Demiſſiſſime Domine obſecro te per tuam, meamque amantiſſimam Matrem Mariam, per merita Sancti NN. fac me humilem cogitatione, verbo, & opere. Sim humilis corde, compoſitus ſermone, modeſtus in opere. Largire mihi gratiam copioſam, & efficacem, (nam modica non ſatis eſt mihi) ut ſemper & ubique proficiam in cognitione & deſpicientia mei ipſius; ut mihi faſtidio ſit, ſi me homines laudent; gaudio, ſi contemnant;

ut amem latere, & neſciri; ut ſic deſiderem eſſe omnium noviſſimus, ſicut mundani homines amant magni fieri, & eſſe omnium primi. Paucis multa, mi JEſu: ut ſim humilis amore, & exemplo tuo.

Deſiderium taciturnitatis.

MOdeſtiſſime JEſu, diffuſa eſt gratia & veritas in labiis tuis, in ore autem meo inventus eſt dolus & mendacium. Quid eſt lingua mea, niſi ulcus abominabile, ex quo, tanquam fœda ſanies, tot vani, arrogantes, detractorii, impuri, imprudentes, iracundi, & otioſi ſermones profluxerunt. O quoties vanis meis colloquiis omnem cordis devotionem & quietem prodegi! Erubeſco nunc meipſum, & linguam meam in conſpectu tuo. Rogo te, mi JEſu, per tuam, meamque Matrem amantiſſimam Mariam, per merita Sancti N. fac me amantem ſolitudinis & ſilentii. Abſtrahe me ab omnibus, ut tanto amplius conjungar tibi. Abde me in te, ut deliteſcam ſub velamento alarum tuarum. Loquere ad cor meum jugiter, ne illud appetat audire ſermones hominum. Da mihi, ut amem loqui pauca, & ſilere multa, ut juxta monitum Apoſtoli tui, ſim velox ad audiendum, & ad loquendum tardus, atque ita arcto ſilentio compenſem damna, quæ meæ ſaluti, & tuæ gloriæ hactenus intulit lo-

loquacitas mea. Tua laus ſemper ſit in ore meo; & omnis mei ſermonis materia ſit deinceps JEſus & Maria.

Deſiderium devotionis & gratiæ bene orandi.

DEſidero, piiſſime JEſu, gratiam perfectæ orationis & contemplationis rerum æternarum. Fateor quidem, me etiam gratiam non mereri, ſed reſpice tuam, meamque Matrem amantiſſimam Mariam, reſpice merita Sancti N. & horum gratia da, quod peto, & doce me orare recte. Moderare ſenſus meos externos, ut tempore orationis ſint compoſiti. Conſtringe phantaſiam, ne divagetur a te. Memoriam occupa, ut te ſolum cogitet. Intellectum illumina, ut te inveſtiget, & inveſtigando cognoſcat, quam bonus ſis. Voluntatem accende, ut te ſolum amet, & in te ſolo delectetur.

Deſiderium manſuetudinis.

JEſu mitiſſime & patientiſſime, iterum propono tibi, tuam meamque Matrem amantiſſimam Mariam, merita Sanctorum NN. & per hæc te deprecor: concede mihi, ut in afflictionibus omnibus, ſeu internis, ſeu externis, ſim imperturbatus, quietus, fortis, magnanimus, hilaris & gaudens.

Auge mihi cruces, mi JEſu, ſed auge ſimul patientiam, & cum Thereſia fortiſſima tua heroina proteſtabor: Domine, aut pati, aut mori.

Deſiderium obedientiæ.

OBedientiſſime JEſu, qui factus es obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, quando tandem illud erit, ut hanc obedientiam tuam perfecte imiter, & vocem Superioris mei, & Patris Spiritualis audiam, uti tuam, iisque obtemperem in omnibus, celeriter, cæce, heroice, usque ad defatigationem, & cum plena ſubjectione judicii, & voluntatis meæ. Tu, mi JEſu, Superiores meos, & Patres ſpirituales illumina, ut mihi ſemper præcipiant, ſuadeantque, quæ tibi maxime ſunt placita, & in his exequendis me promptum & alacrem tua gratia ſemper efficiat. Id iterum a te peto per tuam meamque Matrem amantiſſimam Mariam, & per merita Sanctorum NN. Patronorum meorum.

Deſiderium caſtimoniæ.

CAſtiſſime JEſu, ſi vota quid valent, opto, ut in humana carne ſim Angelus ſpiritu. JEſu agne innocentiſſime, nihil patere in verbis, cogitationibus, & operibus meis, quod Angelicæ puritati adverſatur. Cogita me filium

lium esse puriſſimæ Matris tuæ, conſidera merita Sanctorum NN. Patronorum meorum. Et cor mundum crea in me Deus meus.

Deſiderium amoris JEſu, Mariæ, & Proximi.

OMi JEſu, maxime amator Patris, tenerrime amator Mariæ, ardentiſſime amator hominum, inflamma hoc triplici amoris æſtu cor meum. Illaquea mentem meam hoc triplici funiculo charitatis. Emolliat, quæſo, cor tuum, tua meaque dilectiſſima Mater Maria, & ſancti Cœlites NN. Patroni mei, atque in horum gratiam annue obſecrationi meæ. Obſecro autem, ut mihi des te diligere ſuper omnia, Mariam plus quam me, & proximum ſicut me ipſum. Utinam amore tui, Mariæ, & proximi, mollia omnia contemnam, & quidquid durum eſt, perferam. Sit amor meus in te conſtans, quem nulla interrumpat offenſa; ſit ſincerus & defæcatus, quem nulli vitient terreni affectus & commoda; ſit intenſus & heroicus, qui nullum periculum timeat, nullum laborem fugiat; ſit denique conjunctus cum magno mei ipſius odio. Oderim me, mi JEſu, & amem te. Avelle me a me, & transfer me in te. Emoriar mihi, ut vivam tibi. Eradica ex me, quidquid meum eſt, & in-

sere, quidquid tuum est. Aufer me, & redde te; ut semper & ubique unus tecum spiritus efficiar. Fiat, fiat.

Commendatio aliorum.

BEnignissime JEsu, qui neminem perire, sed omnes vis salvos fieri, commendo in benedictum cor tuum parentes meos, NN. omnes meos benefactores & malefactores, omnes illos, qui meas preces unquam petierunt, vel pro quibus orare teneor. Hos omnes paternæ tuæ protectioni committo, libera eos ab omni malo, & perfice gressus illorum in viis mandatorum Domini. Largire illis copiosam benedictionem in temporalibus bonis & æternis, fac, ut te unum & solum in hac vita diligant, in altera autem beate fruantur in æternum.

Orabis etiam pro conversione infidelium, hæreticorum, & impiorum precatiunculam S. Francisci Xaverii, &c.

Precibus hisce ad Christum directis, reflecte te denuo ad indignitatem tuam, & quia peccator es, adeoque indignus, quem Deus audiat, ad Virginem Matrem, sanctosque tuos Patronos recurre, & illis commenda, quæ petisti, ab iis efficacius impetranda.

Invocatio Virginis Deiparæ.

AJEſu tuo, ad te venio, o Maria. Ego filius tuus, etſi refractarius & impius, ad te, Matrem meam accurro. Ego ſervus tuus, etſi nequam & perfidus, proſterno me ad pedes benigniſſimæ Dominæ meæ. Ego cliens tuus, etſi valde ingratus, ad te propero, fidiſſimam meam advocatam. Quidquid petivi a JEſu tuo, pro me, & pro aliis, hoc etiam peto a te. Clamo ad te cum Eccleſia: Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ, Amen. Scio Domina, non mereri me, ut me exaudias, ſed multo minus mereor, ut me exaudiat Filius tuus, tum quia peccator ſum, & magnus peccator; tum quia preces meæ multis imperfectionibus ſunt plenæ, & potius ſupplicium merentur, quam præmium. Sed tu preces meas cum tuis unito; & lacrymas meas cum tuis miſce; & ſuſpiria mea cum tuis confunde; & eleva, ac fulci manus meas, quas tetendi ſupplices. Atque dum animam meam ſicut aquam in conſpectu Filii tui effundo, tu pectus & ubera denuda, quibus eum lactaſti. Hæc ſi ille viderit, nihil tibi negabit, & tibi nihil ſi neget, nihil etiam negabit mihi. Nam ego & tu unum ſumus. In corde meo cor tuum eſt, & in corde tuo cor meum.

Amo te, & tu me, licet immerentem, & amor me tibi, & te mihi ſic copulat, ut in binis corporibus una anima & voluntate vivamus, hoc unico tantum diſcrimine, quod tu non ex me, ſed ego ex te vivam.

Invocatio SS. Patronorum.

AD vos demum me converto, ſancti Patroni mei, petoque, ut mei eſſe velitis interceſſores apud cœli, terræque Reginam, & cum illa apud JEſum:

S. Angele Cuſtos, ora pro nobis.
S. Joſephe, ora pro nobis.
S. Joachim, ora pro nobis.
S. Anna, ora pro nobis.
S. Ignati, ora pro nobis.

Ita perge, & ſingulos recenſe.

O Fideles mei advocati, orate pro me Mariam, & Reginæ veſtræ exhibete charitatem illam igneam, qua erga JEſum & Mariam hic arſiſtis, & ibi etiamnum ardetis; ſæviſſimas veſtras perſecutiones, quas Dei cauſa ſuſtinuiſtis; extremum veſtri contemptum, in quo velut in ſumma gloria exultaſtis; heroica illa opera, quæ ad JEſu & Mariæ honorem perfeciſtis: hæc inquam exhibete Reginæ veſtræ, ac dicite: Regina Mater, in noſtri gratiam, huic miſero homini exora a Filio tuo, quidquid pro ſe, & pro aliis ipſe oravit.

GRA-

GRATIARUM ACTIO.

Si votis Religionis, aut castitatis obstrictus es, hæc prius renova, tum hisce verbis te totum Deo offer.

SAnctissime Domine mi, & Pater dilectissime, totum me tibi amore tui, quantus sum, cum corpore & anima mea, in odorem suavitatis offero, ac intime desidero propter te, ut perpetuum tibi sim holocaustum, & cor tuum divinum ac purissimum, semper exhilarare, & omni possibili modo ac perfectione glorificare valeam.

Quia autem laus tua, ex te in Deum redundans, plane modica est, invitabis ad eum & una tecum laudandum creaturas omnes.

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis: Deus misericors, & amabilis valde.

Pleni sunt cœli gloria & beatitudine tua, cujus non est finis: plena est terra bonitate & miserationibus tuis, quarum non est numerus.

Cœlum & terra, & omnia, quæ in eis sunt, magnificate conditorem vestrum, & opificem magnum exaltate in sæcula.

Non eratis, & ipse fecit vos; ipse mandavit, & creata estis: in bonitate & sapientia & virtute illius fundata sunt omnia.

Be-

Benedicite Patrem luminum omnes ſtellæ & lumen: Aſtra ſerotina & matutina admiramini, & prædicate magnificentiam pulchritudinis ejus.

Dicite nobis, quantus eſt ille Rex gloriæ, qui vos lumine induit ſicut veſtimento, & annuntiate nobis eum, qui lucem habitat inacceſſibilem.

Cantate Domino, qui in altis habitat, volucres cœli, & exaltationes Dei ſint in gutture veſtro.

Plaudite pennis Deo excelſo, qui ambulat ſuper pennas ventorum: pſallite vocibus Deo terribili, qui tonat in nubibus, & montes facit tremere a voce virtutis ſuæ.

Jubilate dominatori fluctuum piſces maris, & omnia, quæ moventur in aquis: Delphines & cete grandia, laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.

Magnus Dominus, & magnitudinis ejus non eſt finis, excelſior cœlis, & profundior abyſſis aquarum.

Domini eſt terra, & plenitudo ejus: exultate illi animantes terræ, & procedite ad nutum magnificæ voluntatis ejus.

Quoniam ipſe ſtabilivit orbem, fundamenta pedum veſtrorum, ipſe aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione

Virete Deo æterno arbores & frondes; flores & fructus, & omnia ligna ſylvarum.

Ger-

Germinate Regi sæculorum immortali, & signate immarcessibilem gloriam Majestatis sempiternæ.

Filii hominum benedicite Domino, qui propter vos fecit hæc omnia, & vos ipse operatus est propter semetipsum.

Subjecti estote Domino Dominantium, & servite illi in timore & tremore, qui opera manuum suarum subjecit sub pedibus vestris.

Confitemini illi in voce exultationis juvenes & virgines, senes cum junioribus, quia exaltatum est nomen ejus solius.

Diligite Deum ex toto corde vestro, quoniam ipse prior dilexit vos: & quoniam ipse est speciosus super omne pulchrum, & amabilis super omne bonum.

Deus magnus, infinitus, ineffabilis, incomprehensibilis, in bonitate, sapientia, Majestate, & virtute, in omnibus perfectionibus suis ab æterno in æternum. Gloria Patri.

Crescе in fervore Deum tuum laudandi, & ipsos cœlos subi, & ad Dei laudem Cœlites omnes invita.

DEus Deorum in Sion, quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam diligentibus te ostendis in supremo habitaculo tuo.

Dignus es Domine accipere laudem & gloriam & benedictionem ab omnibus Sanctis

ctis tuis, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Canticum novum cantate sponso vestro, vos amabiles virginum chori, & pede innocuo sequimini agnum, quocunque ierit.

Fulgete sicut sidera beati Confessores, sed fulgete Domino Deo vestro in perpetuas æternitates.

Deum magnum, & Dominum exercituum laudate in tympano & choro glorioſi Martyres, & magna voce prædicate triumphatorem magnum in Israel.

Sicut tubæ, exaltate voces vestras, magni Dei Apostoli, & annuntiate nobis Verbum vitæ, quod contrectarunt manus, oculi, & aures vestræ.

Citharizate in citharis Prophetæ Dei altissimi, & spiritu oris Domini repleantur labia vestra noctes & dies.

Magne & sancte Deus, te venerabilis adoret Patriarcharum progenies, & notam faciat filiis legem, & mirabilia tua.

Tibi Cherubim & Seraphim, tibi omnes Angeli inceſſabili voce proclament: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Benedictio & claritas, sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.

Amoris arcum intende fortius, & Mariæ ſupremæ cœlorum & terrarum Reginæ, vices tuas in Deo laudando committe.

MAgnificat anima tua Dominum, o Maria, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Magnificet anima tua Dominum, o Maria, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari meo.

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

Magnificet anima tua Dominum, o Maria, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari meo.

Et miſericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Magnificet anima tua Dominum, o Maria, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari meo.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Magnificet anima tua Dominum, o Maria, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari meo.

Depoſuit potentes de ſede: & exaltavit humiles.

Magnificet anima tua Dominum, o Maria, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari meo.

Eſu-

Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.

Magnificet anima tua Dominum, o Maria, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari meo.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

Magnificet anima tua Dominum, o Maria, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari meo.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham & ſemini ejus in ſæcula. Gloria Patri.

Demum, quia magnitudini divinæ, omnis creaturarum laus minime reſpondet, cum finiti ad infinitum nulla ſit proportio, ex flagranti cordis æſtu, Deum, qui tibi ſe dedit, Deo ipſi redona.

DEus infinite, ſanctiſſime Domine, amabiliſſime Pater, omnis creaturarum tuarum laus infinitæ tuæ & ſuperſubſtantiali Majeſtati nimis eſt modica. Tu ſolus te, ut par eſt, laudare & amare potes. Ex amore ergo tui, teipſum tibi offero. Te tibi dono, mi Deus, qui Deus es, te tibi trado, te tibi conſigno, te tibi cedo, quantus quantus es, cum omnibus tuis divinis & infinitis perfectionibus. Et ex corde ſimul opto, ut ceſſio & oblatio tui ipſius cedat ad majorem guſtum, oblectationem, gloriam, adorationem,

nem, & obsequium tuum; ad compensationem tot beneficiorum a te nobis collatorum; ad satisfactionem tot nostrorum in te scelerum admissorum; ad impetrandum efficax auxilium pro omnibus necessitatibus nostris: ut Divinæ tuæ Majestati perfectius semper servire valeamus.

Hic finire poteris, sed finem profunda humilitas, & ardens charitas, quæ in toto præsenti exercitio potissimum eluxere imponant.

PRÆPARATIO SACERDOTIS AD MISSAM.

Ant. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Psalmus 83.

QUam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea, exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: & turtur nidum sibi; ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo dispositit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Gloria Patri.

Psalmus 48.

BEnedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster: & averte iram tuam a nobis.

Num-

Numquid in æternum irascéris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super Sanctos suos: & in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: & justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos. Gloria Patri.

Psalmus 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam servi tui,

quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine ſuavis & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudiſti me.

Non eſt ſimilis tui in diis Domine: & non eſt ſecundum opera tua.

Omnes gentes, quascunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui inſurrexerunt ſuper me: & Synagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

Et

Et tu Domine Deus miſerator & miſericors: patiens, & multæ miſericordiæ, & verax.

Reſpice in me, & miſerere mei: da imperium tuum puero tuo, & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me. Gloria Patri.

Pſalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui Jeruſalem. Gloria Patri.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine, quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina usque ad noctem: ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael: ex omnibus iniquitatibus ejus. Gloria Patri.

Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Ego dixi, Domine, miſerere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
℣. Convertere Domine aliquantulum.
℟. Et deprecare ſuper ſervos tuos.
℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.

℣. Sa-

℣. Sacerdotes tui induantur juſtitiam.
℟. Et Sancti tui exultent.
℣. Ab occultis meis munda me Domine.
℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

AUres tuæ pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus noſtris, & gratia ſancti Spiritus illumina cor noſtrum: ut tuis myſteriis digne miniſtrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum: purifica per infuſionem S. Spiritus cogitationes cordis noſtri: ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur.

URe igne S. Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

MEntes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet: & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

ADſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra

clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

COnscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster JEsus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit & regnat.

Gregorius XIII. concessit 50. annorum Indulgentiam dicenti hanc orationem:

EGo volo celebrare Missam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini nostri JEsu Christi, juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque Curiæ triumphantis, ad utilitatem quoque meam, totiusque Curiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis, in genere, & in specie, & pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus, Amen.

RE-

RECESSUS ALTARIS.

Antiph. Trium puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Canticum trium Puerorum.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol & Luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æstus Domino: benedicite frigus & æstus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino : benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia, quæ moventur in aquis, Domino : benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes beſtiæ, & pecora Domino : benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Iſrael Dominum : laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino : benedicite ſervi Domini Domino.

Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino : benedicite ſancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino : laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem & Filium, cum ſancto Spiritu : laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli : & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Pſalmus 150.

LAudate Dominum in Sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ : laudate eum in pſalterio & cithara.

Lau-

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiph. Trium Puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.
℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
℣. Exultabunt Sancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.
℣. Non nobis Domine, non nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actio-

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

DA nobis, quæſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extinguere: qui beato Laurentio Martyri tuo tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

CAPUT V.

De Meditatione, & Particulari Examine.

INSTRUCTIO I.

De Meditatione, ſeu Oratione mentali.

§. 1. *Quid, & quotuplex oratio?*

ORatio in genere, eſt devota mentis in Deum elevatio: vel, ut alii, familiare colloquium, quod homo inſtituit cum Deo, tanquam Filius cum Patre, Sponſa cum Sponſo, rogando eum, ut quidquid vel animæ ſvel corpori noxium eſt, propitius avertere, & quidquid in rebus vel temporalibus, vel æternis neceſſarium ac ſalutare, benigne largiri

giri velit. Hæc autem Oratio dupliciter inſtitui poteſt, vel ore, aliisve ſignis exterioribus, & dicitur Oratio vocalis; vel mente tantum & affectu, & vocatur Meditatio & Oratio interna. Vocaliter orat, qui pia & ſancta verba cum motu labiorum ac linguæ depromit, decantatve. Ad quam orationem, ut cum fructu fiat, requiritur 1. Attentio, ut vel ad ſenſum verborum advertas, vel aliud interim devotum myſterium, v. g. Paſſionis Chriſti, animo rumines, vel ad ipſa ſaltem verba attendas, quo recte ac diſtincte pronuntientur. 2. Reverentia, quam aſſequeris, ſi oculos vel modeſte clauſos teneas, ſine ulla circumvagatione, vel in piam aliquam iconem, expoſitumve in Altari Venerabile Sacramentum, vel in apertum ante te precatorium libellum, devote conjicias: ſi manus & reliquum corpus inordinate non motites: ſi genua flectas, &c. 3. Tarditas ſine præcipitantia, ut tantum ſaltem moræ tribuas verbis tuis, quæ cum Deo facis, quantum impendere ſoles, ſi quando cum viro aliquo in auctoritate conſtituto, cum Principe, vel Rege tibi loquendum eſt. Cave etiam, cum in templo verſaris, ubi plures ſunt præſentes, ne ore ſibiles, aut alium editiorem ſonum edas, quo aliis tecum oraturis, moleſtiam, turbationemve aliquam creare poſſes. 4. Puritas, ne quid inter

oran-

orandum interveniat, quod delicti culpam mereatur, uti ſunt diſtractiones voluntariæ, vel negligenter repulſæ.

Meditatio ſive oratio interior eſt, qua interiores ſolum animæ rationalis potentiæ ſine motu labiorum & linguæ, aut externa prolatione verborum circa Deum & divina myſteria exercentur, ſolaque mente colloquimur cum Deo de rebus ſpiritualibus & æternis, quam orandi rationem Chriſtus ipſe Samaritanam docuit, quando interroganti huic de loco orationis in hæc verba reſpondit: *Spiritus eſt Deus, & qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Joan. 4. v. 24.

§. 2. *Quid Meditatio ſit, prolixius declaratur?*

FUndamenti loco ſupponendum eſt, tres eſſe in anima hominis potentias, Memoriam videlicet, Intellectum, & Voluntatem; per memoriam reminiſcimur præteritorum, & ea etiam, quæ adhuc futura ſunt, nobis repræſentamus; per intellectum circa ea, quæ memoria objicit, varie diſcurrimus, & ſingula momentis ſuis ponderamus; per voluntatem denique ea, quæ perpenſa ſunt, vel amplectimur, vel rejicimus, prout aut bona, aut mala eſſe, deprehenſa ſunt.

Jam vero tribus illis facultatibus ad virtutem & vitium uti poſſumus. Exempli gratia: ante medium annum alteri injuriam intu-

tulit, & graviter ejus honorem læsit: id primo occurrit memoriæ. *Et ecce*, tacitus inquit, *nebulo iste ante medium annum tali me calumnia perstrinxit:* mox exactius singula expendens, examinatis omnibus adjunctis: *Itane vero!* cogitat, *iste homuncio, cui tantum præstiti, quem tot cumulavi beneficiis, hoc mihi fecerit! tam importunis me lacessierit verbis, tam injuriosis, idque in præsentia tot hominum honestissimorum, &c.* Denique perversa subsequitur voluntas. *Non feram, non patiar, par pari referam, non sic abibit inultus.* Ecce tibi speciem meditationis, at malæ. E contrario autem, si simili ratione exerceatur eædem tres animæ facultates circa mysteria fidei, veritates Divinas & Evangelicas, & quamcunque aliam materiam piam & spiritualem, quæ ad Dei gloriam, & animæ salutem referatur, pia, sancta, laudabilis ac salutaris meditatio est. Exemplo rem declaremus. Sit instituenda meditatio de crucifixione & morte Christi, primo officium suum faciat Memoria, & ob oculos ponat ipsa historiam sive mysterium; consultum etiam est circa illud, elicere actum fidei, cum protestatione, quod firmissime id credas ob Dei infinite sapientis & veracis auctoritatem & revelationem, paratusque sis pro eo articulo vitam & sanguinem, si opus sit, profundere.

Tum

Tum ſequatur diſcurſus Intellectus, expendendo omnes circumſtantias crucifixi & morientis Chriſti. Te ipſum interroga, quis eſt, qui patitur & moritur? nempe unigenitus Dei filius: quo loco? In monte Calvariæ: quo tempore? In ſolemnitate Paſchæ, in meridie: quanti ſunt, & quam multiplices dolores & cruciatus, quos tolerat? Maximi & ineffabiles: quinam ſunt perſecutores & tortores? Judæi, Gentiles, Cacodæmones, pro quibus moritur? Pro nobis hominibus, pro amicis & inimicis, ipſis etiam crucifixoribus, & tortoribus ſuis, quo affectu? Ferventiſſimi amoris & deſiderii adhuc plura patiendi: quænam in hac morte ejus eluceſcunt virtutes? plurimæ & excellentiſſimæ, videlicet obedientia, patientia, humilitas, paupertas, amor Dei, & proximi, &c. quomodo ſe in hoc actu gerit Beatiſſima Virgo, Dei Mater? Afflictiſſima eſt, & amara facta eſt contritio ejus, at ſimul tamen conſtantiſſima, & in Dei voluntatem reſignatiſſima: quis fructus mortis Chriſti? Redemptio totius humani generis.

Hujusmodi circumſtantiæ vel omnes, vel aliquæ, in quibus majorem quis ſentit devotionis guſtum, & ſpiritualem fructum, expendendæ & ruminandæ ſunt. Interdum etiam adjungere licet pulchram aliquam ſimilitudinem, aut ex ſacro Codice depromptam

ptam ſententiam, aut SS. Patrum teſtimonium, quæ materiam præſentem magis dilucidant atque confirmant. Inſtar apis argumentoſæ, ex floribus divinorum myſteriorum tam diu exugere ſuccum debes, donec intellectus convincatur, & ad pium aliquem atque ardentem affectum inflammetur voluntas, quæ tum demum & ipſa ſuo fungetur munere, & diverſarum virtutum actus, bonaque concipiet propoſita, ac piis & ferventibus affectibus inſiſtet. Ejusmodi autem affectus nunc dirigentur ad Deum, quem ex toto corde diligere, cui nos totos committere, in quo ſolo ſpem ponere, quem ob bonitatem & pulchritudinem ſuam magnificare & laudare, cui ob præſtita nobis beneficia redhibere gratias, cujus ſanctiſſimam implere voluntatem oportet.

Nunc affectus illi ad proximum referentur; ut eidem in neceſſitatibus, qua temporalibus, qua ſpiritualibus, pro virili opitulari, ſalutem ejus tum animæ, tum corporis promovere, illi ad omne bonum prælucere exemplo, illum amare, quantumvis inimicum & infeſtum; ejus defectus & onera æquo animo tolerare, &c. decernamus.

Alias ad nos ipſos ordinabuntur, ut cum odium noſtri ipſorum excitamus; certa pœnitentiæ & mortificationis opera ſuſcipimus; ob vilitatem noſtram & nihilum confundi-

mur; deteſtamur peccata præterita; propo-nimus emendare vitam; ſectari impoſterum maximam conſcientiæ puritatem, exercere heroicos virtutum præſtantiſſimarum actus, &c.

In hiſce itaque, quæ diximus, conſiſtit tota ratio, & ars meditandi, hoc eſt, orare mente, nimirum tres illas animæ potentias exercere circa myſterium aliquod divinum, ejus per memoriam reminiſci; per intellectum circa illud diſcurrere, & adjuncta ejus enucleate perſcrutari; ac denique per voluntatem pia & ſalutaria excitare deſideria, affectus & propoſita. Et hujusmodi oratio Deo inprimis grata, animæ ſalutaris, atque idcirco apud viros ſanctos, & perfectionis ſtudio deditos, ſemper in uſu fuit, quemadmodum & de ſe teſtatur Apoſtolus: *Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* 1. Cor. 14. v. 15.

§. 3. *Quo pacto ſe ſe ad meditationem die antecedente præparare oporteat.*

I. COnſervanda eſt conſcientia pura, & a noxis etiam venialibus libera: hæ enim ſunt velut pulviſculus, qui quantumvis exiguus, oculorum tamen aciem obtundit ac lædit, quo minus eam in rerum divinarum contemplationem intendat. Scriptum eſt:

est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. v. 8.

II. Edomandæ sunt passiones, & pravi affectus iræ, invidiæ, & superbiæ, &c. qui etiam tempore orationis tranquillitatem mentis interturbant. Aquæ vivarii dum limpidæ sunt & quietæ oculos hominis ad fundum usque admittunt, videnturque pisciculi etiam minimi: at cum turbantur, aut ventis agitantur, nulli omnino comparent pisces, qui cerni queant. Ita prorsus cum animo hominis comparatum est, qui dum passionibus inordinatis inquietatur, capax non est ad contemplandas & percipiendas veritates divinas, & cum Propheta lamentari cogitur: *Turbatus est a furore oculus meus.* Ps. 6. v. 8.

III. Nunquam effundendum est cor ad res terrenas & sensuales; sensus quoque exteriores ab omi inordinatione custodiendi sunt, præsertim oculi, aures & lingua, in quo tenenda est regula priscorum Patrum: *Hominem orationis studiosum oportere cæcum, surdum, ac mutum esse.*

IV. Vesperi, priusquam decumbatur, tarde ac considerate prælegenda est materia, sive puncta meditationis ex aliquo libello, & inter legendum danda opera, ut omnia recte intelligantur, & prævidendi etiam sunt affectus congruentes, qui ad quodvis punctum excitentur; ac denique, quantum hu-

mana fragilitas permittit, elaborandum est, ut quæ prælegimus, memoria retineantur.

V. Postquam decubuisti, & ad quietem te composuisti, rursus futuræ meditationis puncta quam breviſſime recole, ac simul Angelum tuum tutelarem roga, ut te præstituto tempore excitare dignetur, illi vicissim promittendo, quod vocem ejus audire, & ad datum signum continuo deserere lectulum velis, &c.

§. 4. *Quid ipso meditationis die mane ante ipsam præstare oporteat.*

I. QUamprimum tempus surgendi advenerit, nihil cunctare, sed sine ulla mora de lecto consurge, angelico tuo excitatori obsecundans, alioquin enim de cætero non excitabit, ne actum apud te agat.

II. Mox omni studio cor tuum ad Deum dirige, & ipsi primitias cogitationum tuarum offer: nullas admitte de rebus terrenis cogitationes, alioqui te ad meditationem ipsam comitabuntur, & ad finem usque tecum persistent. Primæ cogitationes tuæ sint de illo Pauli: *Humiliavit semetipsum.*

III. Revoca in memoriam meditationis puncta, & ardens excita desiderium eam recte instituendi.

IV. Quod si meditationis puncta tibi excidissent; ne turbare: sed post absolutas preces

ces matutinas ea relege, imo etiam durante meditatione licebit tibi ante te librum explicare, ut si forte memoria defecerit, inde juvari possis; nam & hoc de S. Theresia memoriæ proditur, quod multis annis sub meditatione uti libro coacta fuerit; postmodum nihilominus ad sublimissimum contemplationis gradum, post tam diuturnam desolationem a benignissimo Deo evecta est.

V. Cum hora meditationis instat, aqua lustrali te consperge, & immotus pauliſper consistens, considera per unum circiter Pater noster, quo pacto Angelus, cæterique tui Patroni, ac Sancti omnes, cum beatissima Virgine, ac Deo ipso, te contemplentur e cœlo, & vehementer optent, ut instantem meditationem quam perfectissime peragas, & mox uno alterove passu progrogressus, profunda inclinatione corporis venerare Imaginem Matris tuæ Deiparæ, ac denique cum viva fide, & interiore adoratione præsentis Dei in genua provolvere, & quam demissime usurpa illud Patriarchæ Abrahæ: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Gen. 18. 27.

§. 5. *Quid in ipsa meditatione faciendum.*

MEditatio quatuor constat partibus, quæ sunt oratio præparatoria, præludia,

consideratio punctorum cum congruentibus affectibus, & colloquium.

I. Est oratio præparatoria, qua gratia petitur, recte, id est, attente, devote ferventer ac fructuose meditandi. Quæ oratio vel propriis verbis concipitur, vel jam alias concepta usurpatur, qualis est, quæ sequitur.

Oratio præparatoria.

ECce, Deus meus, hic sto in conspectu tuo, licet illo undequaque indignissimus & accensus te magis magisque amandi atque laudandi desiderio, cupio quam perfectissime instituere præsentem meditationem meam: sed ex me nihil possum, & quod magis dolendum est, ob antecedentes negligentias meas nullo modo sum dignus, quem tu adjuves gratia tua. Sed respice in faciem Christi tui, & merita dilectissimæ Matris ejus, & omnium Sanctorum, & miserere mei. Per efficacem gratiam tuam trahe memoriam meam ad te, ut nihil cogitet, nisi te: illumina intellectum meum, ut nihil scrutetur, nisi te: inflamma voluntatem meam, ut tui solius amore inardescat, ex hoc nunc & usque in sæculum. Amen.

II. Quemadmodum Concionatores & Oratores in principio dictionis suæ brevi aliquo utuntur exordio, ac tunc demum ad ipsam orationem progrediuntur: ita & in princi-

pio

pio amoroſi hujus cum Deo colloquii brevis quidam ingreſſus & præambulum præmittendum eſt; & quidem cum de hiſtoria aliqua fit meditatio, triplex Præludium præmitti ſolet. In primo ſtrictim percurritur ipſa hiſtoria, v. g. Chriſtus Dominus in monte Calvariæ tribus clavis crucifigitur; tum in altum extollitur; & ita ſublimis pendet tribus integris horis coram innumerabili hominum turba, ac denique morte defungitur in ſumma paupertate, cruciatu, & ignominia. In altero imaginando ſibi, & ad vivum repræſentando ipſum montem Calvariæ, & pendulum de cruce Dominum, ac circumſtantem turbam, ad eum modum, quo illa depingi ſolent. In tertio gratia poſtulatur, præſens myſterium, ut par eſt, expendendi, & pios, ſanctosque affectus excitandi. Quodſi non de aliqua hiſtoria, ſed alia quadam veritate habenda ſit meditatio, ut de morte, judicio, &c. duplex ſufficit Præludium, alterum, quod imaginationem loci, alterum, quod poſtulationem gratiæ complectatur.

III. Abſolutis quam breviſſime ad ſpatium unius aut alterius miſerere Præludiis, ad ipſa puncta progredere, & ad ſingula exerce memoriam, intellectum & voluntatem, prout jam ſupra declaratum eſt: forma diſcurſum materiæ ſubjectæ competentem, &

accommodatos elice affectus, & propoſita practica, in occaſionibus ſecuturis obſervanda. Occaſionibus tamen ejusmodi objiciendis non diu immorandum eſt, ne animus ad alia abſtrahatur. Tum memor infirmitatis atque inconſtantiæ tuæ, qua ſæpe multa bona proponis, & pauca præſtas, gratiam Divinam in colloquio implora, & hæc eſt

IV. Pars: Colloquium, in quo cœleſte poſtulatur auxilium, opere complendi ac perficiendi, quod cognoviſti, & in conſpectu Dei præſtare decreviſti. Et ſi placet, non unum ſolum ſub meditationis finem, ſed plura, poſt ſingula puncta videlicet, unum aliquod inſtitui poteſt: Primum ad Angelum Cuſtodem: alterum ad beatiſſimam Virginem; tertium ad Chriſtum; quartum ad ſanctiſſimam Trinitatem, ac denique meditatio terminatur dictis Pater noſter, &c.

§. 6. *Quid abſoluta meditatione præſtandum.*

I. FInita oratione obambulando ſucceſſum ejus examina, & quo modo Præludia, Diſcurſum, Affectus & Colloquia inſtitueris, expende: ſi bene ſucceſſerunt omnia, age Deo gratias, dicta ſemel doxologia: Gloria Patri & Filio, &c. ſin aliquam admiſiſti negligentiam vel culpam, dole cum propo-

posito defectum hunc aliis piis exercitiis resarciendi.

II. Sæpius per diem renova facta in meditatione proposita, reminiscendo simul perspectarum veritatum & principiorum, ex quibus ad ea concipienda motus & incitatus es.

§. 7. *Documenta quædam meditaturis perutilia.*

I. FIxum ad statutum habeas meditationis tempus, & locum; & tempus quidem opportunissimum est matutinum, statim a somno, priusquam alias occupationes aggrediare, & minimum durabit per semihoram, melius autem per horam. Locus, quo est quietior, & a turbis omnibus segregatior, hoc est, commodior & aptior.

II. Materia consueta meditationis potest esse exemplo magnorum Sanctorum, historia Vitæ & Passionis Christi. Hanc ob causam in septem meditationibus infra positis, quæ totidem hebdomadæ diebus respondent, pro materia earundem præscripta sunt præcipua Christi patientis mysteria, & quævis meditatio in quatuor puncta distributa est, eaque tam fertilia, ut facile uno etiam alterove puncto præstitutum tempus impleri possit.

III. Si in uno aliquo puncto ſatiatur animus, & deſiderato fruitur devotionis guſtu, ne feſtines ad alia, ſed illi immorare ad finem usque meditationis, & tum alio tempore reliqua puncta expende.

IV. Inter diſcurrendum, ne ſublimes ſectare conceptus, aut phalerata quærè verba. Quo ſimplicius converſaberis cum Deo, hoc ipſi eris gratior; quia *cum ſimplicibus ſermocinatio ejus.* Prov. 3. v. 32. Plus etiam temporis tribuendum affectibus & propoſitis, quam diſcurſibus & ratiocinationibus; affectus enim & actus voluntatis plus apud Deum meriti, apud animum tuum plus utilitatis & neceſſitatis habent.

V. Quia meditatio efficax omnino, & præſtans medium eſt ad extirpanda vitia, & inſerendas neceſſarias virtutes, hinc ordinarie, & quantum fieri poteſt, meditationem tuam diriges ad illud vitium ſuperandum, circa quod magis labi, & eam virtutem aſſequendam, in cujus exercitio, plus difficultatis percipere conſueviſti. Imo quotiescunque generatim in pia aliqua deſideria effervescis, placendi Deo, expiandi peccata, ſectandi perfectionem, mox ad particulare illud vitium, & virtutem deſcende, & circa hæc opere ipſo oſtende, quam ſeria & efficacia fuerint antecedentia generalia deſideria tua.

VI.

VI. Quantum ad exteriorem corporis habitum, & compoſitionem attinet, ad eam te compone, quam ad interiorem devotionem & attentionem noveris tibi expeditiorem: communiter melius eſt genibus flexis, aut recte ſtando orare, quam ſedendo; quod ſi tamen in flectendo ſentias difficultatem, non prohiberis ſedere. Vide interim, ne alicubi acclineris; ſed cum debita reverentia & modeſtia conſide eo corporis ſitu, quem aſſumeres cum Rege aliquo, aut magnate locuturus, qui conſcius infirmitatis tuæ, te coram ſe aſſidere juſſiſſet. Quod ſi quoque deprehendas, modeſtam aliquam inambulationem ad melius ac devotius meditandum expedire, nec iſta tibi interdicitur, modo in tali loco ſis, ubi aliorum nemini aut offendiculum, aut impedimentum adferas.

VII. Manus quoque, quantum fieri poteſt, inter orandum immotas tene, & a fricando etiam, quantumvis ex pruritu aut morſiunculis moleſtiam ſentias, cohibe. Hæ quidem exiguæ ſunt victoriolæ, ex diuturna tamen, & continua earundem frequentatione ingentes meritorum, ac gloriæ cumuli reponuntur in cœlis, & æque Deo accepta ſunt, ac duo iſta minuta, quæ paupercula vidua in gazophylacium miſit. Marc. 12. v. 42.

VIII. Tunc bene ſucceſſiſſe Meditationem crede, cum veritatem quampiam animæ ſa-

lu-

lutarem perceperis, & firma conceperis propoſita, certam aliquam exercendi virtutem, aut extirpandi vitium, vel imperfectionem, licet nulla ſenſibilis ſuavitas, & devotionis guſtus animum tuum titillarit: imo etiamſi ſuggeſtionem aliquam aut tentationem virtuti illi contrariam, ſed involuntariam, & quam continuo repreſſeris, expertus fueris.

IX. Conſueſce in Meditatione, quemadmodum & in aliis devotionis exercitiis nunquam Deum etiam vel leviſſime offendere; quod det, ſi ſex ſequentes negligentias ſedulo cavere ſtudeas. 1. Nunquam ſine præmiſſa debita præparatione, & non prælectis prius punctis, etiamſi jam ante ſatis perſpecta videantur, ad Meditationem accede. 2. Nullas ſciens, volens admitte diſtractiones. 3. Nec oculos conjice in rem non neceſſariam. 4. Nec tardus ac remiſſus ſis in repellendis iis, quæ ſe contra voluntatem ingerunt, mentis evagationibus. 5. Nunquam tempus Meditationi præfixum decurta. 6. Nunquam ſis minus modeſte ac reverenter compoſitus quoad ſitum, ac habitum corporis. Eam minimum decet eſſe corporis tui compoſitionem, in qua te repente deprehendi a Superiore tuo, vel alio quovis alicujus authoritatis viro non erubeſceres.

§. 8.

§. 8. *Documenta alia a P. Nicolao Lancicio data pro tempore ariditatis & desolationis.*

I. SI non es tibi conscius ullius negligentiæ paulo ante commemoratæ, etiam si toto tempore nullam sentires consolationem, sed perpetuis impetereris distractionibus involuntariis, aut tentationibus, etiamsi sentires cor aridum instar lapidis, noli ob hanc rem tristari, sed persiste in oratione, & luctare cum distractionibus; talis enim oratio valde utilis & meritoria est, quia confert ad humilitatem, cum sensibiliter devota sæpe præbeat occasionem superbiæ, & vanæ gloriæ. In tali oratione exercetur heroica fortitudo, dum æquo animo sustinentur infestationes dæmonis, vel naturæ, & non obstante impetu distractionum & tentationum, homo in oratione sua perseverat: In eadem major erga Deum amor elucet, quia colloquia cum Deo protrahit, quæ per distractiones & infestationes molestas, Dæmon impedire molitur. An non majorem meretur laudem miles, pro Rege suo excubans sub dio, & Solis æstum, imbres ac nives pro eo sustinens, quam ille, qui in palatio Regi assistens, similia non patitur?

II. Quod si distractiones sollicite repellis, nec tamen illæ recedunt; sed ariditas durat, & nulla pia cogitatio occurrit circa puncta Me-

Meditationi præparata, hoc modo procede: 1. Humilia te coram Deo, & agnoſce, quod indignus ſis, qui devote ores; & quod ob peccata tua dignus ſis, ut ea in te puniantur hac ariditate, & mentis inquietudine. 2. Age Deo gratias, quod hac ratione te humiliet, & puniat peccata tua, ut minus habeat, quod in altera vita pœnis afficiat. 3. Roga Deum, ut a te ariditatem illam auferat, ſi id ad majorem ejus gloriam conducit, eique magis ſit placitum; ſin minus, offer te Deo ad ſupportandam talem ariditatem per totam vitam, dummodo tibi det gratiam efficacem illam ſine peccato ullo, ſed potius cum Dei guſtu ſuſtinendi.

III. Contra occurrentes diſtractiones interius in animo concipe diſplicentiam & averſionem, nec opus eſt aut caput movere, aut ullum corporis membrum, ſatis enim eſt, ſola mente nolle præbere conſenſum.

IV. Quando vel morbus, vel magna defatigatio corporis aut capitis non permittit te meditari, & diſcurrere circa puncta præparata, v. g. dum es in itinere, &c. Sic age. Primo quadrante adora Divinam Majeſtatem in cœlo, & in omnibus mundi partibus præſentem. Secundo quadrante humilia te coram Deo, agnoſcendo te viliſſimum & indigniſſimum omni bono, ob peccata tua, & ſimul de iis dole, eaque deteſtare, & cave-

re

re propone ob Deum ſumme, & ſuper omnia amatum, dicendo ſæpe: *Deus, propitius eſto mihi peccatori.* Tertio quadrante age Deo gratias pro omnibus beneficiis, tum communibus, tum particularibus, Chriſti Domini Humanitati, Beatiſſimæ Virgini, & omnibus aliis Sanctis, ac tibi denique conceſſis, & adhuc concedendis in æternum: Quarto denique offer Divinæ Majeſtati ſpiritualiter Corpus & Sanguinem Domini noſtri JEſu Chriſti, & merita ejus, in laudem & gloriam Dei, in gratiarum actionem pro beneficiis perceptis & percipiendis: in impetrationem rerum, tibi & aliis neceſſariarum, & in ſatisfactionem pro peccatis tuis. Et his actibus adde oblationem bonorum propoſitorum alias a te factorum, idque in unione meritorum Chriſti, ſanctiſſimæ Matris ejus, & Cœlitum omnium: ac denique commenda Deo præſentes neceſſitates, tum Eccleſiæ, tum Regni aut Provinciæ; Civitatis, Domicilii, in quo habitas, tum amicorum, & eorum omnium, qui ſe commendarunt orationibus tuis, vel pro quibus orare teneris.

* * * * * * * *

ME-

MEDITATIONES SEPTEM

De Christo patiente, pro septem hebdomadæ diebus.

MEDITATIO PRIMA.

De gestis in ultima Cœna.

PUnctum I. Christus cum Discipulis suis manducat Agnum Paschalem, & accuratissime observat omnia, quæcunque in lege Mosaica de Agni Paschalis esu præcipiuntur, videlicet, ut edatur assus igne, cum lactucis sylvestribus, præcinctis lumbis, calceatis pedibus, cum baculo in manibus. Quanta est exterior Domini tui modestia & reverentia? quam devotis cogitationibus atque affectibus inardescit cor ejus, dum edendo Paschalem hunc Agnum, seipsum æterno Patri offert, in holocaustum pro peccatis tuis? Disce perfecte observare mandata legis novæ, & Ecclesiæ, quæ & utiliora ac perfectiora sunt ceremoniis Mosaicis. Disce, qua externa reverentia, & interna devotione te oporteat perficere quodcunque opus pietatis.

Punctum II. Christus surgit a cœna, & depositis vestimentis, præcingit se linteo: mittit aquam in pelvim: lavat pedes discipulorum suorum, & exosculans eosdem, linteo abstergit. Sedulo expende, quis sit, qui la-

lavat pedes? ſcilicet ſuprema, Divina, atque infinita Majeſtas: quibus? vilibus piſcatoribus, & inter eos infeſtiſſimo inimico, & proditori ſuo Judæ: quomodo? cum maxima humanitate, diligentia, fervore, amore, & deſiderio majoris ac majoris humiliationis: qua de cauſa? ut te doceat profundam humilitatem. Vide, quomodo hucuſque hanc Domini tui abjectionem imitatus fueris, & firmiter ſtatue, ſuperbiam tuam ſtrenue deinceps edomare, & in officiis abjectis, atque humilibus eſſe ſedulum & frequentem; heroicumque concipe deſiderium, te ſemper & ubique, quam potes, profundiſſime coram omnibus demittendi, abjiciendique.

Punctum III. Chriſtus inſtituit ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum. O quam excellens & eximius hic eſt actus Charitatis Salvatoris tui JEſu, qui, dum mundus eum ad necem quærit, ipſe viciſſim mundo tribuit non Angelum, ſed ſemetipſum, nec ut ante, in Magiſtrum & Fratrem, ſed in cibum & potum. In Communione itaque accipis totum Chriſtum; Divinitatem cum omnibus ſuis attributis; animam Chriſti, in qua eſt plenitudo omnis gratiæ, & infinita merita; ſacratiſſimum Corpus ejus; thaumaturgas illas manus tot miraculorum effectrices; divinum os illud, quo edocuit Evangelium ſalutis. Adora illum, & mirare exceſſivam illam

lam liberalitatem Christi tui, gratum te redhibe verbo & opere, ac videl, ut deinceps & corpore & animo, animæ & membris JEsu tui te conformes.

Punctum IV. Perpende effectus Communionis: videlicet, mutat hominem in Christum: extirpat vitia: minuit tentationes: auget virtutes. Post unicam susceptam sacram Synaxin, oporteret te in virum sanctum evadere. & ecce toties eam frequentasti, & in iisdem adhuc hæres imperfectionibus. Quid causæ? fortassis in statu peccati lethalis accedis? fortassis minus sincere te accusas de noxis venialibus, nec eas debite per sacram Exomologesin expias? fortassis requisita deest præparatio, reverentia & devotio? quidquid sit, emendandum est.

MEDITATIO SECUNDA.

De actis in horto, & monte Oliveti.

Punctum I. Expende, qua ratione Dominus tuus oret in horto: 1. Quantumvis defessus tum ex lotione pedum, tum longo illo sermone, quo extremum allocutus est discipulos suos; quantumvis tristis & debilis, orat nihilominus. Quam tu levi de causa intermittis consuetas tuas devotiones, & pia exercitia? ubi tu tempore afflictionis consolationem quæris? apud Deumne, an vero apud homines? 2. Christus orat solus & separatus

tus a discipulis : quam tu diligentiam adhibes, ut oratio tua sit attenta ? 3. Christus orat cum summa reverentia, provolutus in genua, imo & facie in terram prostratus : Si hoc Filius DEI, quid te par est facere, o peccator, & vilis terræ vermiculus ? 4. Christus orat confidenter, propterea dicit : Pater mi ; quam tu adhuc infirmus es in fide ? 5. Christus orat perseveranter in tertiam usque horam, & ita fervide, ut inter orandum sanguineo etiam sudore perfundatur, quam tu in orando inconstans & frigidus es ? 6. Christus in oratione resignatus est, ut illa ejus verba testantur : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Matth. 26. v. 39. Si Christus ad calicem tam amarum sponte se offert, & paratus est obedire Patri suo usque ad mortem crucis amore tui, attende, ad quid te viciſſim ex amore ipsius offerre conveniat, & omnem tuam pervicaciam & inobedientiam emendare stude.

Punctum II. Dominus tuus summe tristatur. Evangelistæ tristitiam ejus appellant pavorem, tædium, & agoniam, ipse Christus: *Tristis est*, inquit, *anima mea usque ad mortem.* At cur hoc ? cur JEsus gaudium illud Angelorum ita vehementer angitur & conturbatur ? Duabus potissimum de causis : altera est, quod ad vivum sibi imaginatus sit

omnia & ſingula tormenta & opprobria, quæ vel in tenerrimo ſuo corpore, vel in excellentiſſima ſua perſona toleraturus erat; unde inter partem ejus Superiorem & Inferiorem acre naſcebatur certamen, ita ut ſanguis etiam inſtar ſudoris, vi anguſtiæ per poros protruderetur. Vicit nihilominus pars Superior, & de Inferiore triumphavit. Statue & tu, vincere te ipſum, pugnare & reſiſtere etiam uſque ad ſanguinem. Altera triſtitiæ cauſa erat, quod cognoverit, & quaſi præſentia intuitus ſit omnia & ſingula totius mundi peccata, eorumque multitudinem ac pravitatem intime perſpexerit, etiam tuorum. Quod quidem graviſſimum onus totum illi incubuit, & notitia ejusdem afflixit eum uſque ad mortem, & ruborem incuſſit uſque ad ſanguineum ſudorem. Collige hinc peccati gravitatem, & cum ita de ſceleribus alienis Chriſtus doleat, quam par eſt, ut tu propria defleas, & deteſteris.

Punctum III. Judas oſculo tradidit Dominum ſuum, ubi pondera immenſam Chriſti erga Judam humanitatem & manſuetudinem: amici nomine compellat proditorem ſuum: *Amice, ad quid veniſti?* nec oſculum recipere ab illo refugit, & cor ejus induratum, amoris & gratiæ igne emollire conatur. Hinc patet, qua ratione alloqui te oporteat inimicos & perſecutores tuos, & eos velut optimos

mos amicos amore & favore prosequi, præsertim, cum multiplicem tibi occasionem præbeant augendorum apud Deum meritorum. Attende vicissim obstinationem & pervicaciam Judæ, qui tot Domini sui tam officiosis & blandis obsequiis, & amoris argumentis, quæ cum in horto, tum ante in cœna illi exhibuit, emolliri non potuit, quin potius cum maledictis & sceleratis Judæis omnem in capiendo piissimo JEsu insolentiam exercuit, & idcirco miserrime denique periit. In quæ mala ipsum inordinatus amor pecuniæ præcipitem dedit! in qualia & tu aliquando rues, nisi inordinatis tuis affectibus & passionibus mature habenas injicias, & strenue easdem mortifices.

Punctum IV. Considera modum & crudelitatem captivitatis Christi. Etenim postquam prostrati in terram resurrexerunt milites, & a Domino facta illis est capiendi sui copia, non aliter, atque rapaces & furentes lupi in innocentissimum Agnum involarunt. Insontissimum Dominum velut latronem invadentes, pugnis, fustibus, & sudibus pulsarunt, thaumaturgas ejus manus tam vinxerunt arcte, ut & sanguis inter ungues protrusus sit: sacratissimum Corpus ejus terræ affligentes, conculcarunt pedibus, & per torrentem Cedron canis instar raptarunt. O spectaculum miserabile! compatere Domino tuo, qui amore tui tam arcte constrictus, misere adeo

& crudeliter tractatur : Conſtringe tu eum vinculis & nexibus amoris, & amore ipſius, omnium ſubigi & conculcari pedibus deſidera, & erubeſce atque confundere de ſuperbia tua, qua exiguas etiam humiliationes & deſpectus cum tanta impatientia, querelis & murmurationibus hactenus ſuſcepiſti.

MEDITATIO III.

De geſtis in domo Annæ & Caiphæ.

Punctum I. Cœleſtis Magiſter Chriſtus interrogatus ab Anna de doctrina ſua, reſpondet, ſe palam ſemper locutum fuiſſe, & in occulto docuiſſe nihil, eos proinde interroget, qui audierunt. Pro quo reſponſo alapam ſæviſſimam refert, cujus tu circumſtantias apud te conſidera. Quis percutitur? Summa, atque Divina Majeſtas: a quo? a mancipio Diaboli: in qua parte corporis? in facie, cujus aſpectu in cœlis & homines & Angeli beantur: quo modo? pugno ita vehementi, ut & dentes inde vacillarint, & ſacratiſſimus cruor copioſe per Divinum os atque nares profluxerit: apud quos? in præſentia & conſpectu plurium graviſſimorum virorum: ob quam cauſam? citra omnem noxam & culpam, tui duntaxat cauſa, ut ipſe in ſe expiet, quod tu toties abutendo facie tua promeritus es: quo animo hanc tam diram alapam Dominus ſuſtinuit? æquiſſimo;

ſine

ſine ulla non modo vindicta, ſed & vindictæ ſpecie, cum alias tamen etiam multo minores injurias ſervis ſuis irrogatas, graviſſime ſit ultus. Quam tu ex hoc antecedente concluſionem deduces? nimirum conclude, quod impoſterum ſanctius uſurus ſis facie tua, ne novos Domino tuo calaphos impingas: conclude; quod nullas, quantumvis graves videantur, illatas tibi forte injurias velis ulciſci, ſed omnes æquiſſimo, lætiſſimoque animo ferre.

Punctum II. Princeps Sacerdotum, & totum Concilium conveniunt in domo Caiphæ, & falſa teſtimonia undique conquirunt contra Dominum, & poſt extrema omnia tentata fateri nihilominus coguntur, conſilia & machinationes ſuas irritas eſſe, & culpa omni vacare JEſum. An non hæc ſuprema eſt Domini tui innocentia & irreprehenſibilitas, utpote in quo invidiſſimi etiam, perſpicaciſſimi, ſimulque inter ſuos graviſſimi homines, nihil reprehenſione dignum invenire potuerunt. An & vita tua ita irreprehenſibilis eſt,? Heu, quoties aliis ratione tua vivendi offendiculo & ſcandalo fuiſti! quam multa etiam optimi amici tui, qui familiarius te utuntur, de te norunt, quæ laudem nullam merentur? nihil dicam de inimicis. Hæc emenda, & in omnibus verbis & actionibus tuis proximo tuo prælucere bono exemplo ſtude, juxta illud Chriſti monitum:

Si luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. 5. v. 16.

Punctum III. Cum summi Sacerdotes nihil falsis suis testimoniis proficerent, Caiphas subdole & fraudulenter sapientissimum Dominum aggreditur, & *adjuro*, inquit, *te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.* Matth. 26. v. 63. Et quamvis Christum minime lateret, interrogationem hanc plenam dolo esse, & responsum suum pessime acceptum iri, & mortis etiam ansam præbiturum, nihilominus sepposito metu, & respectu omni humano, in solam majorem Patris sui gloriam intentus liberrime respondet: *Tu dixisti: Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris DEI, & venientem in nubibus cœli.* Matth. 26. v. 64. Utinam tandem tam præclarum Salvatoris tui exemplum te doceret, respectum omnem humanum exuere! Cur toties apud te DEUS cedere debet vili homunicioni, qui pulvis & cinis est? Cur tantum apud te valet timor, amorque hominum, ut in eorum gratiam tot, tantosque gratiæ & gloriæ thesauros perdere non cures, & propriam inquinare animam, inquietare conscientiam, & tantis, vel ignis piacularis, vel ipsius etiam gehennæ pœnis te ipsum reddere obnoxium? Serio propone, nunquam dein-

deinceps quicquam vel mali facere, vel boni omittere, ex timore, amoreve hominum.

Punctum IV. Caiphas audito Christi æquissimo responso, scindit vestimenta sua, & *blasphemavit*, inquit, *quid adhuc egemus testibus? Ecce, nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? at illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* Matth. 26. v. 65. &c. Adverte bene: Naturalis Dei Filius, qui peccare non poterat, pro blasphemo habetur. Hæc sunt judicia mundi, ob quæ tantopere turbaris. An non satius foret, ut recte vivendo neminem timeres, dicereque posses cum Paulo: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die, qui autem judicat me, Dominus est.* 1. Cor. 4. v. 3.

MEDITATIO IV.

De accusatione Christi apud Pilatum & Herodem.

PUnctum I. Salvator tuus coram Pilato Præside a Principibus Sacerdotum tanquam maleficus in judicium vocatur. Accusationis capita sunt hæc: Esse eum seductorem & concitatorem plebis: perduellem & rebellem Cæsari, ut qui prohibuisset, illi

dare tributum : ſeditioſum hominem, & qui ſe ambitioſe fecerit Meſſiam, & Regem Judæorum. Quam eandem accuſationem apud Herodem repetunt, ad quem Principes Sacerdotum cum hoc ſuo captivo remiſerat Pilatus. Chriſtus autem & apud Pilatum, & apud Herodem totus ſilet, nihil in ſui purgationem in medium profert, licet omni ex parte innocentiſſimus. Cur hoc ? nimirum ut hac ratione expiet multiplicia mendacia & excuſationes, quibus toties obtegere conatus es defectus & culpas tuas: quando de iis a Superioribus tuis commonebaris. Æquo itaque ſaltem animo feras, ſi quando a conſcientiæ tuæ arbitro optima mente moneris aut reprehenderis : imo da operam, ut quasvis etiam injurias, & falſas accuſationes, quas Deus evenire tibi permittit, patienter ſuſtinere aſſueſcas.

Punctum II. Multa Chriſtum interrogat Herodes. Exempli gratia, num ipſe ſit, qui a mortuis reſuſcitarit Lazarum; num ipſe ſanarit cœcum a nativitate, & his ſimilia; deſiderat etiam fieri a Chriſto miraculum aliquod ; quod ſi faceret, promittit, a ſe ipſum liberatum & ereptum iri e manibus inimicorum ſuorum. JEſus autem, qui videbat, intentionem Herodis vanam eſſe, & ex mera curioſitate ortam, regiæ huic perſonæ, licet tanta promittenti, nec verbulo re-

reſpondere voluit. 1. Ut ſatisfaceret pro tot tuis non otioſis ſolum, ſed noxiis verbis, quæ toties in aliorum gratiam effudiſti, & te doceret in verbis tuis parcum & tenacem eſſe. 2. Ut conſummaret opus redemptionis, & plura amore tui pati poſſet; at tu e contra omnes patiendi occaſiones declinare ſoles. 3. Ut tu exemplo ipſius collata tibi a Deo gratiæ dona celare diſceres; nec enim ipſe gratiam ſuam miraculorum oſtendere hoc loco volebat, licet vel maxime, ut miraculum hic aliquod patraret, neceſſarium videretur.

Punctum III. Herodes ignominioſe a ſe Chriſtum repellit, jubetque alba veſtiri tunica, & velut ſtultum, ac ſtolidæ mentis hominem, ex aula ſua ejici; quod mandatum extemplo exequuntur aulici. Tu reputa tecum, quanta hæc ſit, & quam enormis ignominia, quod divina illa atque infinita Sapientia, velut ſtulta reputetur, & exſibiletur, idque a Rege, & tota ejus aula, in publicis compitis & plateis, ab innumera concurrente multitudine hominum. Ecce, ita a Verbo æterno Patris ſolvi oportet debitum, quod tu ambitione tua contraxiſti, & quia toties ob ſcientiam, aliaque dona tua, ſuper alios vane teipſum extuliſti. Coërce ſuperbiam tuam, & ſicut huc uſque laudem & gloriam in ore hominum captaſti; ita de-

inceps

inceps apud eosdem contemni & despici quære.

Punctum IV. Ab eo die Herodes & Pilatus in gratiam invicem redierunt, qui antehac inter se non leviter diffidebant ob temporalem jurisdictionem, quam alter alterius nonnunquam violabat: reconciliatus autem est Herodes, dum Pilatus tantisper juri suo cessit, & captivum Dominum tanquam Galilæum ad Herodem Galilææ tetrarcham remisit. Tam potens est humilitas in reconciliandis animis dissidentium. Ad hæc expende, quid per reconciliationem Pilati & Herodis significetur, nempe, per Christi Passionem Judæos & Gentiles in unam Ecclesiam coituros esse, & totum genus humanum reconciliandum æterno Patri. Sed quandonam tu perfectus evades amicus Dei, & hujus amicitiæ impedimenta omnia removebis, quod tantopere desiderat DEUS, & tibi tam proficuum ac necessarium est?

MEDITATIO V.

De iis, quæ Domino acciderunt in domo Pilati?

Punctum I. præses Romanus quotannis circa tempus paschale tenebatur unum e vinctis, quem vellent Judæi, dimittere; cui consuetudini se accommodans Pilatus, binos Judæis proponit, alterum Barabbam, latronem

nem, prædonem, ſeditioſum & vinctum inſignem, alterum JEſum; & eosdem interrohat, utrum ex his cupiant dimitti. O quænam gæc comparatio! quam enormis ignominia, & inexplicabilis JEſu tui deſpectio! quæ vehementer aucta eſt, cum populus ejus electus legitimo Regi ſuo ſceleratiſſimum latronem præpoſuit, exclamavitque: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* Luc. 23. v. 18. Quid tibi videtur? adhucne jure conquereris, ſi alii tibi præferantur? An non arrogantia tua in cauſa eſt, ob quam Dominus tuus tam vilipenditur? Conſidera quoque, quod & tu ſæpenumero Judæos imiteris, & Barabbam Chriſto præponas, ſi quando plus apud te momenti habet judicium tuum proprium, quam præpoſitorum tuorum: plus valet commoditas & ſenſualitas, quam ſalus & beatitudo: plus efficit caro, quam ſpiritus, honor proprius, quam gloria Dei.

Punctum II. Pilatus, ut quovis modo furentem compeſcat plebem, jubet Chriſtum flagellari. Totus itaque denudatur caſtiſſimus, ac verecundiſſimus Sponſus: alligatur columnæ, & crudeliſſime cæditur, a tota nimirum cohorte militum, qui & natura robuſti & efferati, & pecunia inſuper a Judæis corrupti erant, ut ad mortem uſque Dominum mulctarent, ut ſi forte eum Pilatus ab-

abſolveret, mori nihilominus cogeretur. Nec ipſi crudelitati defuere; ſed alternatim pro libitu ſuo tenerrimum Dominum non aliter, atque incudem pulſarunt. O quantos dolores delicatiſſimo corpori, ex virgineo ſanguine formato, intulerunt violenti & atroces ictus! A planta pedis, uſque ad verticem capitis non erat in eo ſanitas: ſed ubique vulnus, & livor, & plaga tumens. Fruſtatim conſciſſa caro hinc inde dependebat, nec alia erat JEſu tui facies, quam ſi ſanguineo e balneo extractus fuiſſet. In tanta tamen tyrannide, & plusquam ferina crudelitate, ne minimam quidem adverſus flagellatores querelam effundit, quin potius identidem facie in cœlum ſublata, *quoniam*, inquiebat, *in flagella paratus ſum.* Pſal. 37. v. 18. Accede, quæſo, & interroga Dilectum tuum, quamobrem ita ſevere flagelletur, & reſpondebit, ob peccata & ſcelera tua. Tu es, qui colligaſti virgas, & in manus militum tradidiſti. Age itaque pœnitentiam, & ſceleratos corrige mores, commiſſasque culpas operibus ſatisfactoriis expiare ſerio propone. Offer etiam corpus tuum ad quoſvis morbos & dolores.

Punctum III. Hanc inhumanam flagellationem non mitior excipit coronatio; etenim petulantiſſimi milites nullius juſſu, ſponte ſua, diriſſimam ex acutis ſpinis coronam plec-

plectunt, & exhausto capiti imponunt, & in cerebrum usque spinas fustibus adigunt, ut undique aculei promineant, manum arundine, velut sceptro gravant, in signum affectati regni: in faciem conspuunt: pugnis & palmis cædunt: pilos e sanctissimo capite & barba vellunt, & ignominiose salutant: *Ave Rex Judæorum.* Matura æstimatione hic pensa, quis sit, qui tanto ludibrio habetur? nimirum Rex gloriæ, supremus Manarcha, verbo, Deus. A quibus? a creaturis suis, quas pulveris instar momento conterere, & in nihilum redigere posset. Quocirca statue, deinceps vitam tuam in omni dolore & despectu absolvere. Cogita quoque, qua de causa tantos in sancto suo vertice cruciatus sustineat Servator tuus; videlicet, ut te doceat, obstinatum ac pervicax caput, quod maximam partem in actionibus tuis pro regula habes, edomare & frangere. Sedulo hanc lectionem edisce, quia valde tibi necessaria est.

Punctum IV. Hac ratione exceptum Dominum JEsum populo proponit Pilatus, & ait: *Ecce homo.* Videte, quæso, an adhuc hominis formam gerat? certe miserabilis hæc Christi facies etiam saxa & marmora emollire valuisset, nec tamen emolliit Judæos; sed magis exacerbati clamare cœperunt: *Crucifige, crucifige eum.* Joan. 19. v. 6. Insuper

&

& minantur Pilato, quod, si dimitteret eum, accusaturi ipsum essent apud Cæsarem. Pilatus itaque, timens offensam Cæsaris; tandem Crucis sententiam pronuntiat in innocentissimum JEsum. Hic omnia miscentur, unde & tu diversos affectus misce. Compatere afflictissimo JEsu tuo: refræna pravos affectus, qui, ut in Judæis patet, excæcant & indurant mentem: detestare respectus humanos: ac denique Pilato te offer, ut te loco Christi ad Crucem condemnet, utpote nocentem, pro innocente.

MEDITATIO VI.

De bajulatione crucis, crucifixione & morte Christi.

Punctum I. Quanquam latronum cruces a lictoribus deferantur ad locum supplicii, debilissimus tamen, & totus exhaustus Christus, cogitur crucem suam ipse eodem deferre. Vide, qua ratione a Prætorio Pilati procedat, totus capite & vultu cruentatus, lassis & vacillantibus pedibus hinc illinc offendens, septies sub crucis onere fatiscens, ac sanguinolenta pedum vestigia plateis imprimens. Surge anima mea, & quemadmodum S. Veronica sudarium Domino porrigit, ita & tu cor tuum porrige, ut Passionis suæ effigiem in eodem efformet. Crucem quoque tuam, sive externa illa sit, sive in-

interna, patienter & fortiter portando, Dominum ſequere, tibique illud dictum cogita: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Luc. 9. v. 23.

Punctum II. Cum primum Virgineus Sponſus pervenit ad montem Calvariæ, continuo milites ſacram ei togam inconſutilem deſuper contextam per totum, immanitate incredibili detrahunt, atque ita & ſpineam coronam commovendo, novum ei atque immenſum afferunt cruciatum: quin etiam vulnera omnia, violenta togæ detractione renovant. Perpende, quantum verecundiſſimo Domino dolorem incuſſerit tam propudioſa coram tot millibus hominum denudatio. Ita nudus in crucem dejicitur, manus, pedesque, in quibus acutior eſſe ſolet ſenſus (ob venarum, nervorumque concurſum) obtuſis clavis terebrantur, ac cruci denique configuntur. Quam impetuoſe in ſublime extollunt crucem? quam immaniter in præparatam ſcrobem labi permittunt? quam immiſericorditer totum corpus concutiunt, conquaſſantque? Tu Chriſtiane, ſerio ſcrutare, quamobrem manus, pedesque Domini tui tam crudeliter arcteque confixi ſint cruci, videlicet, quia toties tu manibus pedibusque tuis in ejusdem contemptum ac deſpectum abuſus es: vide, in quo, & emenda; & te quoque

per timorem, amoremque Dei, Domino tuo confige.

Punctum III. Considera extremam ignominiam, qua Dominus tuus e cruce pendens afficitur. Locus crucifixionis est mons Calvariæ, in quo mortis supplicium subire solebant fures & latrones. Dies est paschalis, quo Judæi ex universa Patria confluere soliti sunt, ut hac ratione mors ejus ignominiosissima pluribus fiat manifesta. Tempus est meridianum, quo clarius miseria ejus & afflictio perspici ab universis posset. Civitas, juxta quam morte defungitur, Solyma est, in quam non multis abhinc diebus solennitate, atque triumpho maximo fuerat introductus. Pœnæ socii bini sunt latrones, inter quos medius, tanquam eorum dux & signifer pendet. Ecce, tot opprobriis saturatur JEsus tuus, ut te gloriæ suæ cœlestis participem, hæredemque efficiat. I nunc, & omnes injurias unquam tibi illatas confer, & vide, quam nulla ratione cum injuriis JEsu tui, pro te crucifixi, comparari possint; & tamen aut obmurmuras, aut contristaris, & modis omnibus conaris crucem a te vel excutere, vel saltem minuere, cum JEsus tuus modos omnes inquirat, queis sua sibi crux fiat acerbior. Erubesce impatiens homuncio. Nulla tibi querendi causa suppetit, qui nondum in crucem actus es, quemadmodum JE-

sus

sus tuus. Imo, si jam in crucem actus esses, eandem jure meritissimo ob peccata & scelera tua sustineres.

Punctum IV. Postquam septem a Domino tuo prolata in cruce verba devota mente percurristi, considera, quemadmodum inclinato capite emittat spiritum. Moritur in extrema pauperie; lectus agonizantis crux est; corona spinea pulvillus; decurrens undique cruor lodices: nec aliud quicquam linteaminum præsto est, quo nuditas ejus veletur: & tu adhuc temporalibus inordinate adhæres cas? Moritur inter principum Sacerdotum sannas & opprobria: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Matth. 27. v. 24. Non sic, mi JEsu, non descende: sed in cruce persevera, ut nos exemplo tuo doceas perseverare usque in finem. Moritur in acerbissimis cruciatibus corporis, & extrema desolatione animi. O, quantum igitur est pretium animæ hominis, pro qua Dei Filius vitam suam infinite pretiosam impendere non recusavit. Vide, ut & tu amore JEsu tui mori paratus sis: amor enim amore compensandus est; mors, morte. Vide, ne animæ tuæ jacturam facias, quam tanto pretio Servator tuus redemit, quin potius omnibus viribus collabora, ut & proximi tui animam lucreris.

MEDITATIO VII.

De iis, quæ post Christi mortem contigerunt, & de ejusdem sepultura.

Punctum I. Postquam Creator orbis crudeli fato extinctus est, omnes creaturæ morti ejusdem indoluerunt: Sol pleno die obscuratus est, quia lux mundi occubuerat: petræ dissiluerunt, atque adeo & saxa Christum Filium Dei confessa sunt, dum homines de eo silebant: velum templi in duas partes sciſſum est, quia finem accepit lex antiqua, & aditus patefactus est ad sancta sanctorum: terra mota est, & ob tam crudele Judæorum facinus cohorruit: sepulchra aperta sunt, & ipsi mortui cadaver Domini sui quodammodo amplecti velle visi sunt. Anima mea luge cum lugentibus: probe enim nosti, quid alias profatus sit Dominus tuus: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. v. 5. An non justam satis lugendi causam habes, cum fato abs te discedat Dominus tuus, sponsus tuus, magister tuus, optimus amicus tuus? An non ploratu dignum est, quod tot sceleribus mortem conscriveris Deo tuo? quod hodiedum idem ipse Deus tam variis atque enormibus flagitiis passim ad iracundiam provocetur? quod tot millia animarum ad extremam perniciem & interitum ruant?

ruant? Hæc & ſimilia perpende, & facile a riſu, jocis & nugis tibi temperabis.

Punctum II. Jam mox fructus Paſſionis Chriſti pateſcit, dum peccatores ad frugem & Deum redeunt, percutientes pectora ſua: juſti animantur & confortantur. Joſeph ab Arimathia, nobilis Decurio, clandeſtinus hucusque Chriſti diſcipulus, licet & oculis & auribus uſurparit ſummorum Sacerdotum, totiusque plebis veſaniam contra Chriſtum, adeoque merito ſibi timere poſſet, quisquis pro Chriſto ſtaret; jam tamen metu omni depoſito, audacter acceſſit ad Pilatum, & petiit Corpus JEſu; pretioſam quoque ſindonem coemit: quo corpus illud involveret. Similia præſtitit Nicodemus, & ipſe nobilis ac Princeps Scribarum ac Legisperitorum, qui ad centum libras aromatum atque unguentorum mercatus, eas attulit in montem Calvariæ, ut Domini corpus iisdem ad ſepulturam condiretur. Tu gratias age cœleſti Patri, qui tam provide ſolicitus eſt de honore Filii ſui, atque ita continuo poſt ejusdem obitum incipit eundem exaltare: exue quoque & tu reſpectum omnem humanum, imperterritus aggredere, quidquid a te Dei tui major gloria requirit, dicque cum Paulo: *In quo quis audet, audeo & ego.* 2. Cor. 11. v. 21.

Punctum III. Joſephus & Nicodemus ope

famulorum ſuorum, ac B. Joannis, quam reverentiſſime tollunt de cruce corpus Domini, atque illud in ſinu afflictiſſimæ Matris reponunt. O quanta hanc ex una parte triſtitia invaſit, dum ſacroſanctum atque innocuum corpus filii ſui vidit tam miſere atque crudeliter excarnificatum, quod illa tam blande ac dulciter enutrierat: ex alia vero parte collaudavit atque extulit amorem ejus, quo illectus, tanta pati, tamque acerba defungi morte pro ſalute mundi voluit. Accede, mi Chriſtiane, & primum a Beatiſſima Virgine veniam pete, quod dilectiſſimi Filii ejus mortem procuraris; tum maxima, qua potes, grati animi ſignificatione omnia Salvatoris tui membra exoſculare, & membrorum tuorum delicta deplora, & emendationem ſponde. Verbi gratia inchoando a pedibus, dic: *Mi JESU, gratias tibi ago, & exoſculor ſacratiſſimos pedes tuos, pro me clavis perforatos: heu, doleo, & ingemiſco, quod toties pedibus meis abuſus ſim in decurrenda via vanitatis; non committam ultra in æternum, &c.*

Punctum IV. Conſidera, qua ratione viri iſti ſancti clavos, coronam, & cætera ſimilia tanquam pretioſiſſimas Reliquias, & inſtrumenta redemptionis humanæ pie venerati ſint, & aſſervarint. Quo pacto abluerint corpus, & munda ſindone involverint, ſum-

ma-

maque devotione ac veneratione in ſepulchrum intulerint. Ubi etiam ſepulchri adjuncta adverte, & ſimilibus exorna cor tuum, in quod toties non mortuus, ſed vivus JEſus tuus reconditur: videlicet, quod alienum fuerit; quod novum, in quo nondum quisquam poſitus fuerat; quod e petra exciſum; quod linteis, myrrha, ac pretioſis aliis unguentis inſtructum, quod clauſum lapide, atque ſignatum: tale & cor tuum eſſe convenit, ut amet paupertatem, exuat veterem hominem, nullam admittat creaturam, aut amore inordinato proſequatur: ut ſit conſtans inſtar petræ, mundum inſtar ſindonis, amet myrrham pœnitentiæ, ſpiret odorem bonæ atque exemplaris vitæ, cautum atque ſollicitum in cuſtodiendis ſenſibus exterioribus.

INSTRUCTIO II.

De Examine Particulari.

§. 1. *De nomine & affectione hujus Examinis.*

DUplex eſt Examen, alterum Generale, ſic dictum, quod in eo generatim omnia totius diei acta expendantur; Particulare alterum, quod ad extirpationem certi &

particularis vitii, aut consecutionem certæ virtutis dirigatur. Institui autem debet eo modo, quem hic subjectum & descriptum invenis.

Mane firmum concipiendum est propositum, certum hoc vitium aut defectum serio per diem emendandi, & virtutem ipsi oppositam crebro exercendi.

Sub meridiem ac vesperam disquirendum est, quoties circa vitium, cui extirpando singulariter studes, lapsus fueris, aut quot virtutis contrariæ actus elicueris, cum dolore de lapsibus, ac emendationis proposito in futurum.

Pro quovis die binæ ducendæ sunt lineolæ, quarum altera antemeridiano, pomeridiano tempori serviet altera, ut sequens figura exhibet. Pro numero lapsuum virgulæ illis adscribendæ, & ad finem linearum signari potest numerus exercitorum actuum virtutis oppositæ. Sciendum etiam, quod primæ duæ lineæ sequentis figuræ serviant diei Dominico; duæ sequentes diei Lunæ, & ita consequenter, quæ semper fiunt breviores propterea, quod quotidie lapsuum numerum decrescere conveniat.

Dies

Dies Dominica
Lunæ
Martis
Mercurii
Jovis
Veneris
Sabbathi

Hæ lineæ ducendæ ſunt non in quavis abjecta chartula, ſed in libello aliquo, pluribus conſtante foliolis, qui inſtar codicis ſpiritualium rationum, ſumma cura cuſtodiendus eſt, ut in eo rationem ſpiritualis tui profectus diurni, hebdomadarii, menſtrui, annuique perſpicere, & inter ſe ſe conferre poſſis.

§. 2. *De modo inſtituendi examinis circa vitium aliquod, vel defectum.*

INitium faciendum eſt a culpis & defectibus, & continuo progrediendum ad exercitium præcipuarum virtutum, priusquam vitia & defectus extirpati ſunt, aut ſuppreſſi. Hæc enim eſt cauſa, quare nonnulli poſt multos vitæ ſpiritualis exactos annos, exiguum in via virtutis & perfectionis progreſſum fecerint; quia nimirum ab extirpatione vitiorum non duxere initium, nec eidem ſtudio ſufficiens tempus tribuerunt.

In vitiis extirpandis inchoandum eſt ab iis,

quæ exteriora sunt, & magis incurrunt in aliorum oculos adeoq; in animis offensam & scandalum generare, aut certe molestiam creare possunt; qualia sunt mendacia, impatientia exterior, contentiones, curiositas oculorum, loquacitas, &c. Nunquam autem plures simul, sed singulos sensim persequi defectus oportet.

Cum itaque pluribus te istiusmodi defectibus obnoxium deprehendis, ab eorum impugnatione incipe, quos facilius te subjugaturum credis; ne mox sub initium a victoriæ difficultate deterritus, animum despondeas. Postmodum totus sis in edomando eo vitio, quod maxime prædominatur, & radix ac fons est cæterorum, nec ab ejus persecutione desiste, donec ita subegeris, ut jam, aut nunquam, aut quam rarissime in illud relabaris.

Utque securius procedas, consule hac super re Directorem tuum spiritualem, & conscientiæ arbitrum. Hic autem, ut melius tibi ac certius examinis hujus materiam præscribere possit, necesse est, ut te penitus perspectum habeat. Unde ei te totum sincere & candide manifestabis, & quænam passiones ac pravi affectus in te potissimum dominentur, & ad quæ peccata proclivior sis, sine fuco & ambagibus aperies.

Quotiescunque per diem in præfixum defectum laberis, pectus percute, & dolorem

ac

ac deteſtationem excita, quod etiam clanculum, aliis non obſervantibus, ab induſtrio fieri poteſt. Valde quoque expedit, imo, meo judicio, neceſſarium eſt, ut ad quemvis lapſum oppoſitæ virtutis actus exerceatur.

Unde cum de culpa aliqua vel defectu particulare examen inſtituis, ſemper in certos actus interiores virtutis contrariæ erumpere ſtude: ſine hac enim cura nunquam ſolide in vitiorum extirpatione procedes, & poſtquam deinde alteri edomando intentus fueris, continuo in prius illud recides: quia circa interiora non ſatis proviſum eſt, ex quibus vim omnem in exteriora dimanare neceſſum eſt. Quocirca; ſi quando circa oculorum curioſitatem ſuperandam occuparis, ſæpius per diem, nunc ad JEſum, nunc ad Mariam ſuſpira: *Modeſtiſſime JEſu, propitius mihi gratiam concede, ut rite oculos cuſtodiam: Amantiſſima Mater, ora pro me, ut oculi mei ſemper ad exemplum tuum bene ſint ordinati.* Subinde proteſtare: *Abſit a me, mi JEſu, ut aliquid videam, niſi quod oculis tuis placeat. Quam pœnitet me, mi Deus, quod toties oculis meis Majeſtatem tuam offenderim: non committam id amplius in æternum.* Et ſimilem modum in aliis materiis obſerva, queis ſequentes aſpirationes ſervire poterunt.

Aſpi-

Aſpirationes piæ pro emendando mendacio.

JESU mi, æterna Veritas, cuſtodi a mendacio linguam meam. Doleo ex intimo corde meo, quod unquam te, mi Deus, ullo mendacio offenderim. Mi JEſu, malo millies mori, quam vel leviſſimum mendacium dicere.

Aſpirationes piæ pro impatientia extirpanda.

HEu, quoties ſcandalum præbui proximo impatientia mea! doleo ex toto corde meo. O JEſu, quam dulce ac jucundum eſt, amore tuo pati. Patientiſſime JEſu, mitem me effice, & manſuetum corde. O doloroſiſſima Mater Maria, patientiam mihi impetra in omni adverſitate & cruce.

Aſpirationes piæ pro vitandis temerariis ſuſpicionibus & judiciis.

DOmino ſuo ſtat aut cadit, quid tu judicas alienum ſervum? Nolite judicare, & non judicabimini. Ego nullius cor penetravi: tu ſolus es, mi JEſu, ſcrutator cordium & renum Deus. Ipſi mihi difficilis reddenda eſt ratio, quid me aliorum rationibus immiſceo? quid aliena curo?

Sunt, qui ſcrupulos, ſeu lapillos ſecum portent in ſaccis, & ad quemvis lapſum aut vir-

virtutis actum, lapillum aliquem de facco uno in alterum transferant. Sunt, qui errorum, actuumque numerum in Rosario designent. Placet industria, siquidem clam aliis, & non advertentibus, fieri possit; juvabit enim non parum ad citius expediendam meridie aut vesperi discussionem.

In quavis Exomologesi Sacramentali rationem redde de particulari tuo examine, & quomodo per illud vel profeceris, vel in eo defeceris, manifesta; & specialem subinde de negligentia tua pœnitentiam pete; imo ipse de te sub vesperam de commissis defectibus pœnam exige, & vel pro numero lapsuum terræ oscula fige, vel Orationem toties Dominicam, & Salutationem Angelicam recita, idque expansis in modum crucis brachiis, & si in complendo numero actuum virtutis, quem tibi præstitueras, negligentiam admisisti, eam iteratis actibus compensa. De S. Ignatio memoriæ proditum est, quod sub initium conversionis suæ, cum risui superfluo, ad quem valde pronus erat, corrigendo cura peculiari studeret, tot corpori suo ictus flagello subvesperam inflixerit, quoties se deliquisse deprehenderat.

§. 3. *De modo instituendi hoc ipsum examen circa virtutes.*

POstquam in edomandis vitiis satis te profeciisse advertes, totum te acquirendis

&

& inſerendis virtutibus accinge ; ſed earum potiſſimum ſtudio intende , quæ ſunt veluti radices & fundamenta cæterarum ; quales ſunt ſtudium puræ intentionis , Patientia, Humilitas , Obedientia , Conformitas voluntatis noſtræ cum Divina , Impendium honeſtum , & cura temporis , Amor JEſu & Mariæ , & Exercitium actuum heroicorum.

Certa præſtitue tibi tempora , quibus virtutum propoſitarum actus iteres , & quoties negligentem te fuiſſe comperies , tot virgulas conſuetis lineis imprime.

Sub initium denos quotidie actus elice , poſt aliquantulum temporis duodenos ; & ita ſemper progredere , donec ad continuam & perfectam animi tui cum Deo conjunctionem pertingas.

Nec opus eſt , affectus eſſe longiuſculos , ſed ſufficit , breviſſime ac ferventiſſime illos elicere , juxta ſequentes formulas.

Actus puræ Intentionis.

AMantiſſime Domine , Deus , & Pater meus , omnia mea , & ſingula verba , opera & cogitata ad tuam majorem gloriam dirigo. O mi Deus , quidquid ago , quidquid patior , amore tui ſolius & agam , & patiar.

Actus Humilitatis.

DEUS meus , & Dominus meus , dignus non ſum ego , qui cœlum intuear. O

Deus

Deus meus, non ſum dignus terram calcare, in qua tot ferventes ac ſinceri ſervi Dei ambulant, me multis partibus meliores. Miſerere mei Deus, propter merita ſervorum tuorum, inter quos verſor, qui longe tibi gratiores ſunt, quam ego miſerrimus peccator. Utinam ita parvulum & abjectum præbere me poſſem, ut omnes ſuper me ambulare, & tanquam lutum platearum conculcare poſſent. Ego ſum, qui peccavi, & peccatis meis omne malum totius mundi promerui.

Actus Patientiæ.

DOmine, amore tui patiar libentiſſime, nulla etiam data culpa, quidquid pati poſſum. Da, Domine, ut non deſit hodie, quod amore tui ſuſtineam, amori meo & ſenſualitati vel maxime repugnans. Benedictæ ſint omnes horæ illæ, in quibus mihi crux aliqua obtigit. Benedictæ ſint omnes illæ creaturæ, quæ mihi patientiæ occaſionem unquam præbuerunt.

Actus Obedientiæ.

PAratum cor meum, Deus, paratum cor meum ad omnem voluntatem & nutum tuum, per ſuperiores meos mihi inſinuatum. Propter te, mi Deus, judicium meum plane ſubjicio Superiorum meorum judicio. Domine,

mine, voluntatem Superiorum pro tua reputo; hoc volo, hoc nolo, quod ipſi vel volunt, vel nolunt.

Actus Reſignationis.

ECce, Domine, paratum me, ut humilier, abjiciar, contemnar, & vilipendar, prout eſt ſanctiſſima voluntas tua. Mi ſuaviſſime Deus, tamdiu vivere cupio, quamdiu tibi placuerit, nec aliter mori deſidero, niſi quando & quomodo tibi viſum fuerit.

Actus impendii & curæ temporis.

DA, mi JEſu, ut nec momentum totius diei ſine fructu impendam. O quantum eſt pretium temporis, quod ſemel perditum, nunquam in æternum recuperari poteſt! Nunquam, mi JEſu, a ſcripto mihi ordine diei, vel latum unguem diſcedam.

Actus amoris erga JEſum.

TUus ego ſum, O JEſu! tu meus es in æternum, ſive morior, ſive vivo, tuus ſum, mi JEſu. O quam gaudeo, quam exulto, mi Deus, quod tu ſis, qui es. Deus cordis mei, & pars mea in æternum. Deus meus, & omnia, amo te, & amabo ſemper ex toto corde meo, ſuper omnia, gratis, in æternum, & ultra.

Actus

Actus Amoris erga Deiparam Virginem.

TU Mater mea es, o Maria, ego filius tuus. Tu post Deum & JEsum tuum mihi dilectissima es, te stringo, te complector, vita, dulcedo, & tota ratio spei meæ. Utinam omnium animos amoris tui flammis incendere & inflammare mihi liceat.

Heroica Desideria.

MAlo millies mori, o potentissime Deus, quam vel levissimo unquam peccato deliberate te offendere. Mi amantissime Deus, amore tui omnia ex animo precor fausta, & ignosco omnibus inimicis meis ex toto corde meo, quicunque me unquam & quomodocunque offenderunt. Semper eligam, mi Deus, quidquid perfectius est, & tibi magis placitum. Ex duobus æque perfectis illud serio & sincere opto, quod sensualitati meæ maxime repugnat. Oro te, mi Deus, ut amore tui contemnar & projiciar ab omnibus, & tanquam purgamentum hujus mundi fiam, omnium peripsema. Da Domine, ut prosperentur omnes inimici mei, & ego subesse illis, & servire compellar. Hanc mihi gratiam concede, mi amantissime Deus, ut per abjectionem & exinanitionem meam magis, magisque amplificetur, & dilatetur gloria tua, & ego in conspe-

ctu hominum instar faculæ, vel thuris, quæ lucem aliis, aut suavem odorem impertiunt, dispeream & evanescam.

Non est necesse, ut omnes & singulas virtutum præmissarum actiones semper simul usurpes, sed ex omnibus eas tibi elige, in quibus majorem consolationem aut spiritualem gustum & fructum percipis, & easdem tibi crebro usu familiares facito.

Cujusvis virtutis exercitio mensem unum potes impendere, & post eum transire ad studium alterius; quanquam me auctore conducibilius faceres, si postquam extirpandis & edomandis pravis affectibus sufficientem operam impenderis, totum te ad consequendam humilitatem conferas, & in ea una obtinenda totam reliquam vitam consumas. Licebit tamen interdum de virtute alia examen particulare interponere, v. g. de servando ordine diei, &c. sed mox ad idem studium redeatur, illudque continuetur, modo, quo sequitur.

§. IV. *Declaratur modus instituendi examinis particularis de humilitate.*

CUm nemo humilis corde esse possit sine speciali Dei gratia & auxilio, ante omnia oportet, ut labores in excitando frequenti, & ferventi ejus virtutis desiderio, & crebro eandem a Deo postules.

De-

Desiderium Humilitatis.

HUmillime JEsu, fac me vere humilem amore tui, & exemplo tuo. Amantissima Mater mea Maria, quando humilis ero ad exemplum tuum in verbis, actionibus, & cogitationibus meis! O bone JEsu! custodi linguam meam, ne unquam prorumpat in proprias laudes, &c. Hi, vel alii similes, primi erunt affectus tui in hac humilitatis materia, & tum simul invigila, ne unquam nec indirecte quidquam loquaris, quod in tuam commendationem cedat.

Exin progredere ad profundissimam cognitionem tui ipsius, & ut te reputare possis pro abjectissimo mortalium omnium, pro peccatorum maximo, minimo justorum, serio perpende causas vilitatis propriæ, infra explicandas Parte 3. Instruct. 1. §. 1. & sæpenumero modis sequentibus ad Deum aspira.

Actus cognitionis sui ipsius.

DOmine Deus, quid sum, aut possum ex me ipso, nisi nihil? Totus confundor, mi Deus, quando cogito tot peccata mea, de quibus irrefragabile pertulit testimonium contra me conscientia mea; & qualia de nullo alio certo mihi constant? Obstupesco, mi Deus, quomodo adhuc tellus me sustineat tam grave & inutile pondus. Dignus sum,

Domine, & millies, quem projicias a facie tua, & ab omnibus auxiliis gratiæ destituas, ut qui toties ea mihi tam liberaliter & paterne præstita, tam impie & malitiose repudiavi, & aspernatus sum. O quoties merui, ut ad inferos detruderer æternum cruciandus! Dignus sum omnium pedibus conculcari. Exhorresco Domine judicia tua; forte deletus sum de libro vitæ, & expunctus ex electorum numero, in quem tamen multi alii, qui nunc gravissimis degunt obnoxii sceleribus, misericordissime sunt relati. Præcipis Domine, ut omnium vilissimum ac minimum me reputem: ego sum, Domine, ego sum dignissimus, qui infra omnium plantas proterendus abjiciar.

Durante hoc exercitio decertandum tibi est contra tentationes vanæ gloriæ, & temeraria judicia, & si quæ forte se ingerant, cognitione nihili tui repelle, & propulsa; nec enim par est, ut in corde humili & submisso, locum inveniant ejusmodi vanæ æstimationes tui ipsius, & judicia despectiva aliorum.

Non sufficit generalis illa tui ipsius notitia, sed ad particularem magis descendendum est, & ad omnes totius diei actiones extendenda. Ita *dum surgis*, *dic*: Domine Deus meus, en iterum mihi diem concedis, qua salutem meam operer, quam toties insipiens perdidi.

Dum

Dum orationi te accingis : Adhuc te, mi Deus, cum Angelis tuis laudem & deprædicem, qui toties merui inter Cacodæmones residere, & cum his æternum te blasphemare ?

Dum prandes, aut cœnas : O Deus, toties sempiternam famem & sitim promeritus sum, & adhuc cum filiis Dei pascor, reficior ?

Dum laboras : Domine, hoc labore promereri & amplificare possum gratiam tuam in me, qua omni ex parte sum indignissimus.

Dum aliis loqueris : O mi Deus, si homini huic perspectus essem, pede me protruderet, & a se repelleret.

Dum peccata confiteris, aut sacram Synaxin accedis : O quoties per hoc Sacramentum ablutus & mundatus sum, & mox fœdius me contaminavi. Qui fit, mi JEsu, quod toties margaritas tuas projicias ante porcos?

Dum transis plateas: Mirare, quod adhuc terra te sustineat, tam inutile & abominabile pondus; sæpe sæpius animo repete : Ego peccatorum maximus, ego justorum minimus, ego purum putum nihil, & si quid nihilo vilius, indignus, quem terra ferat : hoc unicum a te supplex rogo, mi Deus, ne projicias me a facie tua in æternum.

Hac itaque ratione collabora, ut in omnibus & ex omnibus actionibus tuis occasionem

deprimendi te captes, & simul etiam invigila, ne interea quidquam in compositione corporis, aut gestuum externorum appareat, quod cognitioni tui ipsius adversetur, quidquid vel speciem habet aut libertatis, aut impudentiæ, aut dissolutionis, aut proprii cerebri, aut alterius cujusvis affectionis minus modestæ; & quidquid demum aut affectatum, aut thrasonicum est, id omne tanquam minus conveniens interiori illi animi demissioni, de qua agimus, fugiendum & rescindendum est. Etenim qui vere humiles sunt, & ejus, quam Christus verbo & exemplo docuit, humilitatis imitatores, in exterioribus actionibus & moribus suis modestiam, compositionem, verecundiam & pudorem præ se ferunt, sunt que irreprehensibiles in omnibus. Vicissim cavent, ne in rebus & operationibus suis sordidi, ne abjecti, & pusilli animi: nec etiam in oculis, aut vultu, aut universo agendi modo ulla se prodat vafrities, duplicitas, fraudulentia. Simplicitas, & sinceritas soror est humilitatis, quæ in omni Servatoris tui conversatione manifeste semper emicuit.

Excita ferventia desideria, quibus serio exoptes ab aliis etiam contemni, vilipendi, irrideri, ludibrio haberi, falso deferri, deponi, supprimi, & aliis quibuscunque modis, quantumvis indignis, vexari; & cum humi-

humiliationis occasio oblata fuerit, etiam atque etiam vide, ut eam non tantum sine omni, vel minimæ, sive exterioris, sive interioris impatientiæ signo, sed grato potius, tranquillo, lætoque animo amplexeris & stringas. Ad hæc in exterioribus quoque humilitatis operibus te gnaviter exerce: elige semper postremum potius, & deteriorem, quam primum & honoratiorem locum: simplici & modesto utere habitu: libenter conversare cum pauperibus, simplicibus, & idiotis: servilibus obsequiis operam tuam sedulus impende: invise debiles & infirmos, & iis, quantumvis abominabili infectis malo, prompte deservi, &c.

Serio, & ex animo age gratias Deo pro omni humiliatione tua, quam aut passus es hactenus, aut patienda restat imposterum. Candidum in animo tuo accende amorem erga inimicos & persecutores tuos: ex corde vove & opta, ut nec post mortem tuam in aliorum mentibus obliteretur siniſtra, quam de te conceperunt, opinio, modo ne Deus offendatur. Atque ut hi affectus plus meriti habeant, diversarum aliarum virtutum motivis conspergе, præsertim puri amoris Dei. Jam vero quisquis ad hunc tam sublimem humilitatis gradum pertigerit, nunquam ille nec fideliſſimis amicis suis, quas occulte patitur adversitates & molestias, injurias & ca-

lumnias ſolius ſolatii captandi cauſa revelabit, quin potius laborabit, ut ea omnia, & totum interiorem animi ſui ſtatum occultum & ſecretum cuſtodiat, imo etiam ea nonnunquam ſancta quadam ſimulatione operabitur (quantum tamen ſtatus ejus, & conditio patitur, & citra Dei offenſam fieri poteſt) quæ in ſiniſtram & deteriorem accipi partem poſſent, & majorem contemptum atque deſpectum cauſare. Hæ ſunt induſtriæ & ſtratagemata eorum, qui in vita ſpirituali longius provecti ſunt: hæc eſt ſapientia, quam loquitur Apoſtolus, inter perfectos, & quam te melius, quam ego, Magiſter tuus Chriſtus edocebit, ſi modo ejus te diſciplinæ docilem & fidelem diſcipulum prompte, liberaliterque commiſeris.

CAPUT VI.

De perfecta Cordis Puritate.

CUm vera Sanctitas, ex mente D. Dionyſii Areopagitæ, *ſit ab omni ſcelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas*, primum tibi ob oculos ponam, quam purus vitiis, & nitens eſſe debeat perfecti Chriſtiani animus, tum queis virtutibus

idem

idem esse debeat ornatus, exequar. Cæterum valde delicata & subtilis est cordis mundities, quam Evangelicus Magister noster JEsus Christus ab unoquoque Fidelium exigit. Siquidem præcipit, ut ex corde expellantur omnes pravæ cogitationes, & nociva omnia, atque impura desideria, haud aliter, ac spirituale quoddam cordis adulterium fugiantur: ab ore vero abesse vult omne verbum otiosum, de quo severam interminatur reddendam in die judicii rationem; In operibus denique exterioribus, nihil omnino patitur, quod perversum, scandalosum, aut minus ædificativum est; cum expressum ipsius præceptum sit, ut instar lucis opera nostra ubique effulgeant, atque ut verbo absolvam, Ecclesiam suam, attestante id Apostolo, & unamquamque fidelem animam ita mundam, puramque requirit, ut qua in interiore, qua exteriore ejus conversatione, nec macula ullius peccati, nec imperfectionis ruga deprehendi possit. Ad hanc itaque tantopere tibi commendatam conscientiæ puritatem, ut scias, qua via possis pertingere, sequentia documenta sedulo, diligenterque observato.

INSTRUCTIO I.

Potius moriendum, quam ut mortaliter pecces.

HOc esto serium & efficax, & in omne tempus perpetuum, contra omnes quoscunque ingruentes casus inconcussum, pro omni occasione inviolabile, & constans animi tui decretum; millies potius mori, quam lethali te scelere unquam obstringere. Quocirca, ut res cadat, paratum te esse oportet omnium potius bonorum temporalium, honorum, commoditatum, favorum humanorum, atque ipsius etiam vitæ tuæ, quam gratiæ divinæ per delictum mortale jacturam facere. Hoc Christus docuit, quando dixit: *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* ? Matth. 16. v. 26. Hoc decretum fundamentum est, & primum principium, cui Christiana Sanctitas, & conscientiæ perfecta puritas inniti debet.

INSTRUCTIO II.

Cor purum fugiat peccata venialia.

§. 1. *Cur ea vitari debeant* ?

INvenies e Christianis non paucos, qui veniales noxas susque deque habent, earumque

que vitationem fere negligunt. Quorum cæcitati & incuriæ ut medear, sequentes rationes considerandas propono.

Ratio prima. Tanta est ve unius peccati venialis malitia, ut si unico verbo otioso lucrari posses totum mundum, & redimere omnes ex inferno damnatos, non tamen deberes id dicere; cum ex mente Apostoli nunquam sint facienda mala, ut inde eveniant bona; nec debeat Deus, infinita illa Majestas & Bonitas, ullius etiam maximi boni intuitu vel leviſſime offendi. Quod, si verum, uti est veriſſimum, & fide certum, quanta, obsecro, est amentia tua, & stupor, dum propter exiguas vanitates & sensualitates in plura venialia peccata te quotidie præcipitem agis?

Ratio secunda. Venialia peccata sæpe impediunt actus virtutum; enervant meritum bonorum operum, vitiando finem & circumstantias eorundem, ac proinde remoram & obicem ponunt, quo minus augeatur gratia & gloria, cujus gradus minimus est melior Orbe universo. Quis in domo sua servum tolerare vult, qui singulis diebus impediret lucrum centum ducatorum? certe nemo; & tamen in anima toleramus tot minutas culpas, quæ obstant, ne tot nobiliſſimas gratias, centum ducatis longe excellentiores, acquiramus.

Ra-

Ratio tertia. Peccata venialia minuunt fervorem charitatis, ſicut aqua affuſa extinguit ignem: replent animam ſcabie: ut eam amplecti dedignetur Cœleſtis Sponſus: ſunt onera; quæ currentem in via perfectionis remorantur: turbant ſerenitatem, & tranquillitatem conſcientiæ: frangunt & debilitant ſacratiores illos ſpiritus, qui requiruntur ad opera heroica peragenda: extinguunt filialem illum recurſum in oratione ad Deum: pariunt habitus remiſſe & ſenſualiter vivendi, ut potius recreationes corporis, quam animæ ſectari libeat: denique reddunt inſipida fere omnia pietatis exercitia. Queruntur multi, eſſe ſe in oratione aridos, in divinis laudibus deſolatos, in ſumptione Euchariſtiæ duros, in rebus ſacris inſenſibiles: ſed noverint cauſam horum eſſe, incuriam quotidianorum defectuum non vitatorum. Hanc ipſi tollant, & ſerio ſubmovere conentur, & mox videbunt & guſtabunt, quam ſuavis eſt Dominus.

Ratio quarta. Peccatum veniale etiam unicum, a Viris ſanctis commiſſum, Deus graviſſimis in hac vita pœnis eſt perſecutus. Ita ſeptuagies mille homines peſte extincti ſunt, quod David Rex ſanctus ex quadam levi elatione animi juſſiſſet numerari populum. 2. Reg. c. 24. Ita Moyſes fideliſſimus Dei ſervus & amicus intimus, ad ingreſſum

ter-

terræ ſanctæ mori debuit, nec populum, quem ipſos quadraginta annos ſumma cura circumduxerat, in terram promiſſam inducere potuit, quod levi dubitatiuncula percuſſiſſet petram, inde aquam eliciturus. Num. 20. v. 12. Ita regnum Solymæum a Nabuchodonoſore devaſtatum eſt, quod ejus legatis theſauros ſuos cum vana complacentia oſtentaſſet Rex Ezechias. 4. Reg. 20. v. 10. Quanta igitur ineſt peccato veniali pravitas, quando vel unicum Deus morte plurium hominum, & vaſtatione integri regni vindicat, neque tamen ſupra condignum. Atque hinc ſequitur:

Ratio quinta. Quodvis veniale peccatum, etiam minimum, eſt pejus morte, & jactura rerum temporalium omnium, uti teſtatur S. Dorotheus: *Longe melius eſt & corpus ſuum, & omnia corporea perire ſimul, quam lædi animam tuam in re etiam minima.* Serm. 20.

Ratio ſexta. Peccatum veniale meretur graviſſimas pœnas purgatorii, de quibus audi S. Cæſarium Arelatenſem: *Ille ipſe purgatorius ignis durior erit, quam quod poſſit pœnarum in hoc ſæculo aut accidere, aut ſentiri, aut cogitari.* Hom. 8. Imo, ſi fores tam ſanctus, quam fuere Apoſtoli, & morereris cum unico veniali peccato, anima tua ad Dei conſpectum non admitteretur, niſi purgatorii flammis expiata. Jam vero tam delicatus

tu

tu es, ut nec per horæ quadrantem unius candelæ flammam minimo digito experiri queas, & tamen ea audes indies & sæpius, ob quæ acerbissimi purgatorii ignes multo te tempore torquebunt.

Ratio septima. Venialia peccata disponunt ad damnationem æternam, cum enim sint quasi pulvis animæ oculos excæcans, ne videat peccati mortalis gravitatem, hinc fit, ut, qui frequenter in peccata levia deliberate se præcipitant, tandem in mortalia labantur, uti pulchre expressit S. Dorotheus: *Ex his minimis & vere vilibus ad magna contemnenda delabimur: cum enim cœperit quis dicere: quid est, si verbulum hoc unicum locutus fuero? quid si modicum hoc comedero? quid si in hanc rem intendero? Ex hoc, quid id, quid illud, admittitur mala & amara esca, & sensim incipit quis & pedetentim in majora ac graviora prolabi, & sic deinceps per partes provens periclitatur, atque in perfectam insensibilitatem decidit.* doctr. 3. Jam autem, quis velit cibos comedere, quæ phthisin generant, & infallibiliter ad mortem post unum forte annum subeundam disponunt.

§. 2. *Certa venialia præ cæteris studiosius vitanda.*

FUge inprimis ex venialibus ea, quæ sunt periculosa, & viam facilem ad mortalia ster-

ſternunt, qualia ſunt negligentia in repellendis cogitationibus impuris, curioſitas in aſpiciendis perſonis alterius ſexus, imaginibus non ſat caſtis, lectio librorum vanorum & amatoriorum, &c.

Fuge deinde ea, quæ dedecent virum maturum & prudentem, & quæ illam ob cauſam etiam apud ſapientes Ethnicos exoſa fuere; uti ſunt mentiri, rixari, ſectari delicitas ciborum, &c.

Fuge tertio omnes illas imperfectiones, quæ nimis crebro & facile a multis admittuntur in Officiis Divinis, auditione Sacri, recitatione precum, in quibus multi diſtracti ſunt voluntarie, vagantur oculis, fabulantur libere de rebus non neceſſariis. Quæ omnia cedunt in inſignem contemptum Divinæ Majeſtatis infinito cultu digniſſimæ.

Fuge quarto omnes illas noxas, quæ adverſantur fraternæ charitati, præcipue ſugillationem alienorum morum, ſuſpiciones, & judicia temeraria, & quia in his fere ſine ullo ſenſu peccant homines, & cum inſigni injuria Dei, & proximi, tu in hac materia tanto cautior eris, & binas, quas propono Regulas, nunquam devio mentis propoſito ſequere.

Prima Regula. In rebus, quæ naturaliter ſciri a te certo non poſſunt, neminem unquam judicato; talia autem ſunt ſecreta cordium,

dium, ut cogitationes, intentiones, affectionesque hominum. Quid, obsecro, vis agere judicem iis in rebus, quarum notitia non ad te, sed ad solum Deum pertinet? Huc etiam spectant ea omnia, quæcunque contingentia, & adhuc futura sunt, v. g. An talis vitam suam emendaturus sit, an non. Dic age, si olim vidisses bonum latronem, dum is cum Christo ad supplicium ultimum educeretur, dum in crucem suffixus, una cum socio Christum convitiis lacesseret, putassesne futurum, ut latro iste ad meliorem frugem, mentemque saniorem rediret? Rediit nihilominus, & ex calumniatore Encomiastes Christi factus est, & ex Latrone Martyr. Ex eodem fundamento contemne signa illa prognostica, ex quibus alii de futuris libere contingentibus nimis libere judicium formant, idque fere semper erroneum. Hæc uni Deo committenda sunt. Similiter noli pronuntiare de consiliis Regum & Principum, aliorumque hominum, quæ secreto concluſa sunt, nec certis indiciis eorum, qui interfuere, in publicum eruperunt. Exigua fides adhibenda est communi hominum famæ, quæ plerumque falsa est, & mendax; nec prudentis est, ut credat continuo rumusculis vulgi, quibus parum veri subesse solet, imo figmentis sæpenumero, & mendaciis bene farti sunt.

Secun-

Secunda Regula. Si res, quæ judicanda venit, in propatulo & manifesto foret. Sic age: aut enim res illa externa in se peccaminosa non est, sed talis, quæ potuit fieri bene aut male; ac tum semper factum ab altero in meliorem partem accipe: in rebus enim dubiis vera charitas non cogitat malum, sed bonum: aut res externa in se mala est, & peccatum, v. g. blasphemia, ebrietas, homicidium, & tum potest quidem damnari res ipsa, sed cor charitate plenum excusabit authorem, dicetque, feciſſe id eum inconsiderate, cæco impetu, tentationem fuisse valde vehementem; illum forte surrecturum brevi, & te multo fœdius lapsurum esse. Denique ex uno, alterove lapsu proximi, non formabis conclusionem universalem de malitia & ineptitudine ejusdem. Qui hodie jacet, cras erigi, ac surgere, & qui hodie peccator est, cras converti, & justus ac sanctus effici potest: nec enim homines similes sunt dæmonibus, qui ex obstinatione & pervicacia indolis suæ semel lapsi, nunquam resurgunt. Atque ex his facile perspicis, quam esse debeas cautus, ne male loquaris de aliis, cum tanta requiratur cautela, ne siniſtrum de proximo judicium apud te ipsum efformes.

INSTRUCTIO III.

De perfecto paſſionum dominio.

§. 1. *Quid, & quot paſſiones ſint in homine.*

PAſſio, ut recte eam deſcribit S. Thomas, *eſt motus quidam ſenſibilis potentiæ appetitivæ, propter imaginationem boni vel mali.* Ejusmodi autem paſſiones in homine ſunt undecim, amor, & odium, deſiderium, & fuga, gaudium, & triſtitia, ſpes, audacia, deſperatio, timor, ira. Dum enim per potentiam imaginativam tibi res aliqua proponitur ut bona, & conveniens, amas illam: & ſiquidem eſt abſens, deſideras; ſin præſens & obtenta, gaudes in illa, & acquieſcis. Dum vero exhibetur & repræſentatur ut mala & incommoda, odiſti: & ſiquidem eſt abſens, fugis eam; ſin præſens, triſtaris.

Similiter ſi bonum illud, quod amas, ſit arduum, ſed tamen poſſibile, ſurgit in te ſpes illud obtinendi, & audacia in applicandis mediis: ſi apprehendatur ut impoſſibile, ſurgit deſperatio; ſi vero malum arduum apprehendatur ut futurum, elicitur timor; at ſi præſens conſideretur, accenditur ira, qua vindictam de illo paras, qui malum intulit.

Jam

Jam autem, ne paſſiones illæ in te ſint inordinatæ, regi debent juxta rectæ rationis præſcriptum, & generoſo conatu cohibendæ ſunt ac frangendæ, ne a recto virtutis tramite exerrent.

§. 2. *An paſſiones in hac vita perfecte vinci queant?*

NOlim tibi perſuadeas, te paſſiones tuas in hac vita penitus extirpare, & ita radicitus evellere poſſe, ut illæ nullos unquam pravos motus, legique divinæ repugnantes, in te concitaturæ ſint; nam teſte D. Gregorio Nyſſeno: *Fieri non poteſt, ut in vita materiali, materiæ penitus & affectuum expers vita tranſigatur:* Homil. in Beati mites. Hinc Divus Paulus, licet ſanctiſſimus, de ſe fatetur: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Rom. 7. v. 23. Male ergo docuit Evagrius, omnes omnino paſſionum naturalium motus alienos eſſe ab homine perfecto, cum tales affectus, triſtitiæ, v. g. & iræ, extiterint in Chriſto ipſo, qui perfectiſſimo rationis dominio iis imperabat, ut exurgerent, actusque ſuos elicerent, durabantque tamdiu, quamdiu ipſe volebat, nec amplius. Male etiam opinati ſunt Stoici, in ſapientem nullos cadere motus, etiam primo primos inordinatos: cum viri perfecti, ple-

nique passionum Domini, ejusmodi in se motus ante rationis imperium sentiant quidem, at sine peccato: quia mox, ut adverterint, renituntur.

Is itaque pravas suas inclinationes perfecte domitas habet, qui nulli unquam motui inordinato, & ad peccatum trahenti, consentit libere, & qui nullam voluntariam negligentiam in refrænanda passione admittit, postquam advertit eam contra rectam rationem exurgere.

§. 3. *Perfectus sui victor enucleatius describitur.*

QUisquis talis est, nec ordinarie, nec sæpe habet passionum affectus involuntarios, mentem vehementer perturbantes, cum e contrario in imperfectis ejusmodi passiones iræ, tristitiæ, doloris, diu persistere, & corpus cum detrimento sanitatis, somni, &c. alterare soleant.

A certis passionibus, a quibus antea valde infestabatur, & quibus sæpe perperam consentiebat, ita modo liber est, ut vix motum primo primum amplius ea in materia patiatur, v. g. qui antea facile & valde solebat irasci, injurias persequi, postea nihil horum facit, sentitque intensos benevolentiæ affectus erga eos, qui suis injuriis cooperantur.

Talis

Talis fert mortes Chariſſimorum admodum pacate ; ſæpe ſine lacrymis , & ſine ulla ſenſibili corporis immutatione. Semper manet in eodem ſtatu , ſemper æque diſpoſitus ad omnia , ſine ſui variatione , magnaque utens quiete in actionibus omnibus , & ſuaviter , ſerioque intendens iis , quæ ex Dei voluntate exequitur.

Si quando per imperium rationis paſſionem aliquam concitavit , ea uſus , quantum oportuit , ſtatim ſeſe componit , manetque in ſtatu tam pacifico & quieto , quam ante fuerit.

Majorem quoque inclinationem experitur ad facienda ea , quæ Deo placent , quam ad recreationes etiam non malas , & ſolatia honeſta : imo ab his potius ſenſibilem experitur in ſe averſionem : imo objecta amara amplectitur , ſine ſingulari repugnantia , qualia ſunt viles cibi & inſipidi , dura cubatio , amotio e campis & hortis , &c.

Denique habet ſenſus bene ordinatos , & membra corporis ad nutum fere rationi obedientia , ut , dum laboribus corporeis fatigatus eſt , & ſemidormiens , ex naturæ neceſſitate , corpus non reſiſtat operibus pietatis , ſed magis ad ea propendeat. O feliciſſimum hominis in hac vita ſtatum ! quis eſt hic , & laudabimus eum ?

INSTRUCTIO IV.

De moderatione ſenſuum externorum.

§. 1. *De ſancto uſu oculorum.*

VItabis ſtudioſe aſpectum illarum partium, etiam in proprio corpore, quas natura & pudor eſſe voluit tectas. Viri vere ſpirituales valde cauti ſunt, etiam dum ſoli ſunt; dum ſe veſtibus exuunt, aut induunt; ut utrumque id faciant magna cum honeſtate, nec ullam corporis ſui partem nudam videant.

Tempore orationis oculos vel penitus claudes, vel in Euchariſtiam, piamve Imaginem conjicies, ac diligentiſſime cavebis omnem oculorum etiam inſtantaneam evagationem in exercitiis pietatis.

Perſonas alterius ſexus ne videas absque manifeſta neceſſitate. Satius ſemper eſt, ab illis oculos avertere, etiamſi nullum ex tali aſpectu timeatur periculum. Quanquam facilis ſit tranſitus ab aſpectu ad concupiſcentiam, & imago mulieris cordi ingeſta, ſi non conſenſum extorqueat, at tentationes, & recordationes ineptas exſuſcitat. Noli igitur aſpicere incaute, quod poſtea invitus ames, ſed Jobum imitare dicentem: *Pepigi fœdus*

cum

cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Job. 31. v. 1.

Dum colloquium neceſſarium habes cum perſona alterius ſexus, oculos in vultum ejus defixos minime tenebis, ſed diſſimulanter clauſos in terram dejicies. Avocabis etiam oculos ab aſpectu rerum amœnarum, ſi magnos Sanctos imitari velis: tales res ſunt campi, horti, palatia, haſtiludia, imagines profanæ, libri curioſi, &c. Nam hæc omnia ſolent mentem viri ſpiritualis multum diſtrahere, & a tranquillitate & puritate perfecta dimovere.

Cum aliquo pergis, ſive domi, ſive foris, occurrentes & tranſeuntes non aſpicies libere & leviter, & ſine aliqua neceſſitate. Etiam in rebus indifferentibus, & non malis videndis regula tua ſit non curioſitas, ſed neceſſitas.

§. 2. *De moderatione odoratus & auditus.*

CLemens Alexandrinus Chriſtianum adoleſcentem inſtituens, multa diſputat adverſus unguentorum amatores, præter talia hæc digna notatu habet: *Oportet viros imprimis, apud nos, unguenta non olere, ſed vitæ probitatem.* l. 2. pædag. c. 8.

Quanquam ſive viros, ſive fœminas ſpectes, valet pro omnibus illud Attali Regis Ethnici

apud Senecam dictum: *Optimus odor in corpore eſt nullus odor.*

Virum maturæ perfectionis ſtudioſum decet manibus verſare poma citrina, flores ſuaveolentes, hos leviter in hortis decerpere: item habere veſtes, interulas, linteola odoribus perfuſa.

Ob modicas, & potius apprehenſas debilitates cerebri, noli circumferre pyxides, diverſo balſamo repletas. Imo nec imagines, nec thecas reliquiarias, ſub prætextu venerationis Sanctorum, odoribus delibutas, tecum geſtato.

Cæterum, ſi vel aeris peſtifera conditio, vel notabilis infirmitas, vel urbanitas ob adventantes hoſpites ſuffitum aliquem boni odoris exigant, eum excitari non erit a perfectionis amante alienum.

Cum neceſſe fuerit propter animarum ſalutem, aut aliquod pium opus gerendum, graveolentiam ſuſtinere, eam fortiter perfer, nec propter hanc obſequia charitatis omitte.

Aures tuas ſepi ſpinis, nec audias cantilenas, & verba turpia, verba jocularia, narrationes ridiculas, rumores & novitates ad te non pertinentes, detractiones & obmurmurationes, ſermones otioſos. Aſſueſcant potius aures tuæ concionibus, colloquiis, & cantionibus ſacris. Quæ alii loquuntur ſecreto, non auſcultes, nec aucuperis, nec con-

ſor-

sortio secrete loquentium te ingere. Nihil audire aveas, nisi quod necessitati, aut utilitati, aut charitati aliquo modo conducit.

§. 3. *De mortificatione gustus.*

QUisquis plenam gulæ victoriam obtinere studes, conviviorum osor esto, & ad ea invitatus, ansam quære eadem declinandi: nam hæ ciborum & potus lautitiæ, quam corpus impinguant, tam jejunam faciunt animam; oblectant palatum oris, sed impediunt gustum orationis.

Si convivium omnino declinare non potes, quod eidem vel ex officio, vel majorum jussu, vel ex fructus spiritualis a convivis referendi spe interesse debeas, tum sedulo curabis, ne in hoc etiam proposita perfectioris temperantiæ transgrediaris. Veri abstinentis est, inter exquisitissimas epulas sitire, & esurire posse.

Nunquam cœnabis, nunquam prandebis, nisi certas tui victorias retuleris, & ex cibis quidem, qui magis arrident, certos semper bolos intactos relinques, eosque velut acceptissimum Deo sacrificium consecrabis.

Vino utere, sed per modum medicinæ, ad fovendum calorem naturalem stomachi, quem forte in te sentis debiliorem.

Saltem dum bene vales, nihil speciale ad manducandum pete, sed ferculis, quæ ap-

ponuntur, contentus esto. Si quid speciale offeratur, modeste & efficaciter recusa, nisi aliud certa infirmitas postulet.

Nec cibos commenda, si bene præparati fuerint, nec de iis querere, si fuerint insipidi, & conditi male. Etiam cibis vilibus sine aviditate vescendum est; etiam in horum esu te frangere disce, si sentias te his magis oblectari, quam pretiosis & delicatis.

Perfecte temperans communes cibos nunquam ad satietatem capiet, sed ita e mensa surget, ut tantillum esuriat, juxta D. Leonis monitum: *Paululum esuriamus, dilectissimi, & aliquantulum, quod juvandis possit prodesse pauperibus, nostræ consuetudini subtrahamus.*

Laudabilis est consuetudo eorum, qui extra tempus cœnæ & prandii comedunt & bibunt nunquam, aut certe admodum raro, quando videlicet causa rationabilis vel honestatis, vel necessitatis id ita exigit.

Laudabiliter & faciunt ii, qui certis cibis constanter abstinent, raphano v. g. lactuca, cucumere, cupediis ex saccharo confectis, &c. præsertim si hæc stomacho sunt noxia. Si religiosus es, nullam portionem attinge, quæ non ad te, sed ad alium spectat, id enim Religiosis per votum paupertatis non licet.

Statos jejunii dies ab Ecclesia præceptos ad unguem observa: nec ab his ob quæsitas causas te exime.

Præ-

Præclara etiam illorum abſtinentia eſt, qui conſuetis Eccleſiæ jejuniis minime contenti, adhuc certa jejunia ſibi ipſi imperant, idque ſeptimanis ſingulis, Die Veneris v. g. aut Sabbathi.

Hæc ſunt, quæ in temperantiæ materia te monendum duxi. Hæc omnia autem licet tu feceris, adhuc ſervus inutilis es, ſi te magnis cum Sanctis compares, qui cibos appoſitos cineribus aſperſis, vel amara herba immixta reddidere inſipidos; qui per omnem ſæpe vitam carne & vino abſtinuere; qui totos menſes, imo & annos in pane & aqua jejunarunt; qui herbis ſolis & radicibus vitam omnem traduxere; qui ſæpe cum heroica ſui victoria linxerunt ulcera, & purulentam vulnerum ſaniem, velut dulce lac exſuxerunt. Tu homo mollis, quid ad iſta? etiam horrore concuteris, iſta quando vel legis, vel audis.

Cavebis tamen indiſcretas, & nimias abſtinentias, quæ valetudinem poſſent lædere, teque ad majora Dei obſequia inhabilem reddere. In his, uti aliis conſilium Confeſſarii ſequere.

§. 4. *De mortificatione Tactus.*

AD mortificationem Tactus ſpectant, diverberare ſe flagellis, quod multi faciunt indies; geſtare cilicium, vel catenulas ferreas acu-

aculeatas; cubare in dura humo, vel lodicibus ſubſternere aſſerem: ſcribere & ſtudere ſtando; in veſtibus & lecto non mollitiem, ſed ſolam neceſſitatem quærere; de veſtitu & lecto viliori non queri; tolerare morſus pulicum & muſcarum; ſedere ſine pulvillo ſuppoſito; inter ſedendum non acclinare tergum; uſurpare ſellam non corio obductam, ſed ligneam; orare multum de genibus, idque in templo coram Venerabili Sacramento, etiam de hyeme; non lenire pruritum carnis fricando; gradus aſcendere ſine adminiculo; libenter facere iter pedibus, non dormire ſeptem horis, ſed aliquid ſomno detrahere; ſomnum interdiu obrepentem excludere; ambulare inſertis lapillis in calceos, &c.

INSTRUCTIO V.

De externa Chriſtiani compoſitione, & vitatione defectuum etiam inculpabilium.

TAntus eſt Chriſtianæ puritatis nitor, ut non ſolum ex corpore & animo arcita velit, quæcunque habent rationem veræ culpæ, ſed etiam iſthæc omnia caveat ſedulo, in quæ licet formalis peccati ratio non cadat, ſunt tamen ejusmodi, quæ in oculis hominum

& DEI, ut indecora & inconcinna æſtimantur, quæ eam ob cauſam a viris prudentibus & exacte ſanctis non ſolum improbata, ſed etiam ſtudioſe vitata ſunt.

Sic indecens & minus compoſitum habetur, inter ambulandum jactare brachia inſtar ſeminantis, inter ſedendum divaricare pedes, crus cruri ſuperimponere, aliis cernentibus digitos naribus inſerere, & inde ſordes extrahere, ungues non habere præciſos: eosdem coram aliis reſecare, decerpere foliola aut ramuſculos ex arboribus, iisque luſitare, ſputa a te ejecta non obterere pedibus, ridere, & loqui altius, & id genus alia, quæ perfectæ puritatis amans, ſedulus cavebit, ut in quavis occaſione nitidiſſimos Divinæ Majeſtatis oculos & cor ſolari, & exhilarare poſſit. Felicem te, ſi Sponſus ille cœleſtis in te hoc deprædicet, quod ſua in Sponſa dilaudavit: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum, in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Cant. 4. v. 9. Modeſte videlicet, & decenter compoſito.

Qualis igitur eſt aulicus, dum Regi aſtat, talis tu eſſe enitere coram oculis Dei & Angelorum. Quales eſſe ſolent ipſimet Principes, qui oris ſpecie, & morum majeſtate plerumque inter aulicos ſuos eminent, talis tu eſſe, & morum compoſitione, verecundiaque inter domeſticos tuos excellere ſtude:

Dico

Dico, quod est amplius: Ipsos Angelos moribus tuis exprime, & in terris vive sicut terrestris quidam Angelus, ut dicere possis cum Paulo: *Nostra autem conversatio in cœlis est. Angelicam conversationem tenere conentur*, inquit S. Laurentius Justinianus, *quotquot cœlesti Domino gratissimum desiderant exhibere famulatum.*

INSTRUCTIO VI.

De abolenda obligatione pœnarum in Purgatorio sustinendarum.

ECce tibi ultimum, eumque sublimissimum puritatis perfectæ gradum, ut des videlicet operam, quo pro peccatis præteritis ac præsentibus ita plane satisfacias, ne post mortem purgatorii carcere detineri cogaris, sed omnino purus & integer ad Dei conspectum admittare ocyus. Res enimvero ardua, & difficilis, fateor, sed cave animum despondeas, monitisque, quæ suggero, obtempera, ac tum, quod optas, obtinebis.

Tenero ac præcipuo quodam amore complectere Virginem Deiparam, ejusque gloriam apud omnes propagare stude. Nam si ipsa patrocinio suo (uti certæ historiæ testantur) homines etiam impios, & in peccato mortali defunctos, propter obsequia exigua constanter ab illis adhuc viventibus sibi exhi-

hibita, ab inferni pœnis liberavit, quidni & peculiarem Patronam ipsa agat hominum justorum, illorum, inquam, qui impense eam, dum viverent, amarunt & honorarunt? quidni & illis a Filio condonationem purgatorii vel ex toto, vel saltem aliqua ex parte impetret? certe pollicetur ipsa: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Esto singularis patronus & adjutor animarum in purgatorio jam detentarum; pro illis lucrare indulgentias, quascunque lucrari poteris. Pro illis offer satisfactiones omnium tuorum operum: qua enim mensura mensus fueris, remetietur tibi, quas liberasti animas, eæ beneficium a te acceptum memori mente servabunt, & Deum pro te rogare non desinent, usque dum evincant, ut tu morituras, vel nullum, vel certe levissimum purgatorium experiaris.

Pœnitentias a Confessario tibi impositas, etiam graves, æquo animo suscipe, & prima occasione cum insigni mentis fervore expleto. Sæpenumero elice dolorem internum de admissis peccatis, & eadem pœnis voluntariis, v. g. jejuniis, humicubationibus, &c. expiare stude.

Utere frequenter Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ, præsertim quando cum usu Sacramentorum conjunctæ sunt indulgentiæ plenariæ.

Om-

Omnes cruces, ſive internas, ſive externas tolera invicto animi robore: hæc enim tolerantia eſt quoddam quaſi martyrium, quod animam morientis recta facit evolare ad cœlum.

Opera bona fac multa, in iisque egregium mentis fervorem & conatum adhibe, & intentione actuali ad finem ſupernaturalem majoris divinæ gloriæ ſemper eadem refero. Ante omnia autem ſtude operibus charitatis: Eleemoſynas, ſi potes, elargire liberaliter: *Eleemoſyna enim*, ut dixit Angelus Raphael Tobiæ, *purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* Tob. 12. v. 9. uſque adeo, ut S. Thomas cum aliis doceat: *Eleemoſynam plus eſſe ſatisfactoriam pro peccatis, quam jejunium & orationem.* in 4. d. 15. a. 2. q. 2. Inardeſce inſigni animarum zelo, & ſtudio convertendi peccatores. *Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Jacob. 5. v. 20. Denique inimicis tuis ignoſce ex animo, dimitte debitoribus tuis, ut quæ peccando contraxiſti debita, tibi dimittantur a Deo. Nam veriſſimum eſt, quod D. Chryſoſtomus ſcribit: *Cogitemus ergo, cum injuſte aliquid patimur, quia ſcilicet pro illatis injuriis nobis remiſſionem accipiemus omnium peccatorum, aut ſi in nobis tanta delicta non fuerint, clarioribus honoremur coronis.* Hom. 9. in Matth.

CA-

CAPUT VII.

De exercitio ſolidarum virtutum.

INSTRUCTIO I.

Quæ ſit indoles humilitatis perfectæ.

§. 1. Quæ cogitationes ſint in intellectu veri humilis?

QUoniam humilitas eſt virtus, uti recte docet S. Laurentius Juſtinianus, *quæ homo veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit*, hinc in intellectu tuo, ſi vis eſſe vere humilis, *debet eſſe continua cognitio tui non eſſe*, & in voluntate *continuum gaudium in omnibus illis rebus, quæ poſſunt inducere ad tui contemptum*, uti ad Magdalenam de Pazzis in quodam raptu S. P. Ignatius loquebatur.

Agnoſce te ex te ipſo nihil eſſe, niſi merum nihil, & corpus, & animam, ex quibus conſtas, & bona omnia, tam interna, quam externa, quæ poſſides, accepiſſe te a Deo, qui, ſi voluiſſet, alium tuo loco condidiſſet, qui longe melius beneficio creationis, & donis aliis tibi conceſſis uſurus fuiſſet, quam tu modo utaris. Agnoſce, quid ſecundum corpus fueris, antequam naſcereris,

materia nempe fœda & vilis, quam etiam profari pudet: quid modo ſis; morborum videlicet, ætatis, & inconſtantiæ ludibrium: quid futurus ſis; eſca vermium, & maſſa pulveris.

Agnoſce, quam parum poſſis. Quam vires tuæ ſunt exiguæ, ſi cum integro quodam exercitu comparentur, aut cum Angelis, aut cum ipſo Deo? coram quo totus orbis eſt gutta ſitulæ, inane, & nihil. Quam ſcientia tua eſt modica, & multis ignorantiis admixta? ſcis aliquid, ſed multo plura ſunt, quæ neſcis. Quam potentia tua ad bene operandum eſt impotens? id recte expreſſit D. Paulus: *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. Cor. 3. v. 5. Deus eſt, qui corpus & animam conſervat, qui gratiis ſuis juvat & excitat, qui omnipotenti influxu aſſiſtit, ut bene opereris; adeoque minima omnino portio in opere bono tua eſt; unicus videlicet aſſenſus, quem Gratiæ Divinæ præbes. Jam vero opera tua, etiam bona, quot imperfectionibus ſcatent? An non ea ſimilia ſunt uvæ, in qua ſi unus botrus dulcis & maturus eſt, decem alii occurrunt acerbi & immaturi? & hæ ſunt delitiæ, quibus Deum tuum tractas.

Agnoſce multitudinem peccatorum venialium a te admiſſorum; & tamen vel unicum veniale eſt deteſtabilius omnibus mundi malis,

lis, ſatiusque foret totum mundum te perdere, quam Deum veniali noxa offendere.

Vide, an vel unicum lethale ſcelus tota vita admiſeris, & ſi admiſiſti, indignus es, quem terra ferat, digniſſimus autem omni contemptu & contumelia; quia meruiſti infernum, qui gravior eſt omni malo, & deſpicientia hujus mundi. Et forte admiſiſti peccata mortalia complura: forte idem mortale ſcelus iteraſti centies, imo millies: Es itaque ulcus, & apoſtema ſœdiſſimum, ex quo tanta peccatorum ſanies, tantaque flagitiorum & iniquitatum lues effluxit. Es pejor creaturis inſenſibilibus, quæ ſemper Deo obtemperant, tu autem illi ſæpenumero rebellis & refractarius extitiſti. Es pejor Ethnicis, & Turcis, & Hæreticis, qui diligentiores ſunt in ſuis erroribus & perfidiis, quam tu in vero & genuino Dei cultu; qui ea ſcelera non admitterent, quæ tu admiſiſti, ſi gratiam, & Dei cognitionem haberent, quam tu habes. Es pejor ipſis dæmonibus, nam hi peccarunt ſemel, tu ſæpius: pro illis nunquam data eſt venia, quam tu per contritionem & confeſſionem frequentiſſime conſecutus es.

Reputa te omnium hominum noviſſimum, peccatorum maximum, juſtorum minimum: quod quidem facile tibi perſuadebis, ſi, quæ ſequuntur rationes, recte perpenderis. Nam

Primo, nemo hominum eſt, de quo certa ſcientia tot peccata ſaltem interna noveris, quot noſti de te ipſo. Secundo, nullus hominum eſt, quem certo cognoris tot gratiis & inſpirationibus ſanctis abuſum eſſe, quot tu homo deſes & ingratus abuſus es. Tertio, in eo totus cardo vertitur, non qualis modo ſis, ſed qualis futurus ſis in articulo mortis: forte qui jam eſt peccator maximus, morietur feliciter, & tu infeliciter. Quarto, Deus in Scripturis tibi præcipit, ut te habeas pro omnium infimo. Sic S. Paulus: *Idem ſapiatis, nihil per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.* Phil. 3. v. 8. Vult ergo, ut alios arbitreris ſuperiores te, non in officio, nam id nequit facere Pater reſpectu filii, & Dominus reſpectu ſervi, ſed in gratia & ſanctitate. Sicut ergo in aliis fidei materiis captivas intellectum in obſequium fidei, ita etiam ex reverentia divini hujus præcepti, habe te pro minimo, etſi rationes variæ in contrarium occurrant.

Judica te indignum donis DEI, quia vas es immundum; adeoque in idoneum, in quod Deus liquores cœleſtium chariſmatum infundat.

Si quid rogaſti a Deo, quod acceperis, noli putare, te tuis precibus id impetraſſe. Cum enim certo non ſcias, id tibi datum eſſe in-

intuitu precum tuarum, potius præsume, id esse tibi collatum, ex mera Dei benevolentia, & dic cum Jobo : *Cum invocantem exaudierit me, non credo, quod audierit vocem meam.* Job. 9. v. 16.

Adverte tamen, non esse contra hæc mentis humilis principia, cognoscere in se Dei dona, etiam valde eximia, juxta illud Pauli : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis.* 1. Cor. 2. v. 12.

§. 2. *Quales affectiones sint in voluntate veri humilis?*

OMnia tua opera comitetur magna tui ipsius diffidentia, & sanctus Dei timor, quæ duo utinam nunquam recedant a latere tuo.

Hæc tamen diffidentia non debet esse conjuncta pusillanimitati. Nam verus humilis, quantum diffidit sibi, tantum, & multo plus confidit in DEO, nec est abjecti animi, sed erecti & excelsi, ut patet in humillimo Paulo, animose & confidenter dicente : *In quo quis audet, ... audeo & ego.* 2. Cor. 11. v. 22. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Phil. 4. v. 13.

Execrare vanam gloriam, nam qui vane stu-

det hominibus placere, sæpe illis ipsis, semper autem displicet Deo.

Dignitates & honores tantum horre, quantum mundani homines oderunt contemptum & ignominiam.

Qui pati recusat contemptum, verba aspera, irrisiones, delationes falsas, & his similia, adhuc rudis est in Christi schola discipulus, in qua prima lectio est: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. v. 29.

Ama confundi ab aliis, & si te confundant, gaude, neque id tibi sufficiat, sed etiam ultro confunde te ipsum: tui ipsius tenebras, latibula, contemptum, confusionem in omnibus occasionibus quære, ut tanto similior fias JEsu tuo.

In confusionibus tamen publicis quærendis noli procedere ex spiritu exotico aut eremitico, sed Christi; præstat in iis sequi consilium Superioris & Confessarii, a quo tamen licentiam non decet extorquere.

Ex duobus æque conducentibus ad Dei gloriam, elige id, quod abjectius est & difficilius: ita etiam Christus voluit mundum redimere per viam crucis, etsi viæ aliæ ipsi non deessent.

Ex his patet, quomodo magni etiam Domini debeant esse contenti titulis ac ceremoniis, quæ ipsis exhibitæ fuerint, & quomodo omnem, quam possunt moderationem, eos ad-

adhibere oporteat, quando eis non omnis honor datur, qui ſecundum humanum morem debetur. Conſiderent tales ſe eſſe coram Deo peccatores, & propter offenſas, quas contra Divinam Majeſtatem commiſerunt, omni contemptu dignos, ideoque honorem, qui ipſis fit, adhuc majorem eſſe, quam mereantur.

§. 3. *Quales eſſe debeant mores externi veri humilis.*

CUm nemine rixoſe contende, & ſi quid dixeris, cui alter contradicat, ſile ocyus, ſi res ſit levis momenti, nec DEI honorem, aut proximi ſalutem concernat.

Summo ſtudio cavebis, ne apud ullum omnino hominem ulla tibi propoſitio excidat, directe vel indirecte cedens in laudem tuam, & ſi in hoc genere deliquiſſes, veſperi certis pœnitentiis delictum expiabis.

Si quid boni alium doces, quod eum facere deſideras, noli pro motivo perſuadendi facile & leviter proponere te ipſum, & propriam experientiam. Sed pete argumenta doctrinæ tuæ, ex re ipſa, ex vita Chriſti, B. Virginis, & Sanctorum. Ita efficacius perſuadebis, quod voles; nam certum eſt, virtutem, quam doces, fuiſſe in Chriſto, & Sanctis; incertum autem, an illa ſit in te.

Si te alii laudent, & commendent ea, quæ feceris, ocyus te reflectas ad propriam tuam vilitatem, quam nihil ex te sis, & possis; quot sceleribus & imperfectionibus scateas; ut a planta pedis usque ad verticem capitis non sit in te sanitas: ac tecum cogitabis, si te alter melius nosset, non diceret, quæ dicit, tum autem, ne tu ipse juves tam vanos & falsos de te sermones fovere, quam primum tales incident, subito oculos in terram conjicies, & silebis, aut leviter elevando id, quod dicitur, sermonem ad alios transferes.

Libenter conversare cum hominibus vilibus ac pauperibus, nec ullius conversationem dedignare ideo præcise, quia vilis & pauper est.

Sensa spiritualia, & gratias a Deo concessas omni studio abscondes. Si juvat hæc secreta amicis communicare, optimus tuus amicus Deus est, qui corda & renes scrutatur. Sufficiat tibi eum scire, quæ in animo tuo latent; ille unus instar est omnium, & cum magna gloria aliquando toti mundo pandet, quæ tu studiose celas. Adverte tamen manifestationem Divinorum donorum sæpe esse laudabilem, si cedat in notabile emolumentum proximi, & fiat sine intentione mala, & periculo jactantiæ. Unde ad eam sæpe etiam divinitus Sancti impellebantur.

Quando elicis actus internos alicujus virtutis,

tutis, nullo id gestu externo prodes, non oculos coram aliis in cœlum levabis, non strictim & presse manus conjunges: sed ita te habebis dissimulanter, quasi aliis tum rebus intenderes.

In confessione omnes imperfectionum tuarum circumstantias aperies, sed breviter, quæ possent ad majorem tui confusionem facere. Sic, licet nullam omnino culpam admiseris in tentationibus carnis, in cogitationibus aversivis, & contrariis charitati, &c. tu tamen patefacies, quando & quoties ejusmodi tentationes sis passus. Sic aperies non tantum distractiones precum tuarum; sed quamdiu illæ durarint, an habueris tempore Communionis. Sic homini confusionum amanti non satis est dicere, se impatientem fuisse; sed addet, quamdiu in impatientia illa perstiterit, an proruperit in verba aspera, &c. Sic multi laudabiliter in confessione repetunt interdum peccatum vitæ præteritæ: cujus detectionem maxime horrent, modo absit periculum scrupuli.

Ama vestes viles, & esto frequens in officiis vilibus; verissimum est enim illud Bernardi: *Humiliatio est via ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam.* Ep. 87. ad Ogerium.

Cum omni submissione, affabilitate, mansuetudine ages, quotiescunque cum ullo do-

meſticorum aut externorum agendum erit, cave, ne quid liberius aut præfidentius loquare: nam hoc eſt indicium alicujus præeminentiæ ſuper alios. Tu autem juxta principia ſpiritus, quæ tibi Deus oſtendit, debes arbitrari omnes ſuperiores te, & te inter omnes judicare peſſimum & ultimum, imo abortivum hominis Chriſtiani. Si quis te inviſet, aſſurge, & occurre illi ocyus, & omni humanitate, qua poteris, excipe.

In omni inceſſu, alloquio, modo agendi, elucebit judicium illud internum, quo te omnium noviſſimum reputas, quo omnes te pluris æſtimas; huic enim judicio, ne ſit otioſum & vanum, conformandi ſunt mores externi.

INSTRUCTIO II.

De Manſuetudine & tolerantia adverſitatum.

§. 1. *Quid deſiderare debeat verus crucis amator.*

Quicunque tollere vult crucem ſuam, & ſequi JEſum, is æquo animo ferre, & deſiderare debet, quæcunque amori proprio moleſta accidunt. Quarum rerum claſſis eſt gemina:

Sunt enim res, quæ infeſtant corpus, ut mor-

morbi, dolores, insomnia, vigiliæ, aeris inclementia, morsus culicum, latratus canum nocturni, defectus varii in cibo, potu, lecto, vestitu, aliorum obsequiis, quæ nobis debentur, maxime quando sumus ægri, labores item assidui sine levamine, aliorum mores inurbani, &c.

Sunt deinde res aliæ, quæ immediate afficiunt mentem, ut siniſtra aliorum judicia, de ingenio noſtro, doctrina, aptitudine ad docendum, regendum, & de noſtra virtute, de ſpiritu noſtro, tanquam exotico & illuſio; accuſationes falſæ, detractiones, irriſiones, reprehenſiones, complexio aliorum noſtræ complexioni contraria, nimius rigor Superiorum, ariditates, deſolationes, ſcrupuli immiſſi a Deo, &c. Hæc igitur omnia non faſtidiat, ſed ambiat Chriſtianum pectus, deſideret inquam: Primo, ut maneat in tali loco, ſcilicet civitate, domicilio, cubiculo, a quo abhorret ejus amor proprius. Secundo, ut maneat cum talibus perſonis, & ſub talibus Superioribus, quos habet minime addictos, & erga quos experitur in ſe antipathiam quandam naturalem. Tertio, ut tale officium & occupatio ei deferatur & imponatur, ad quam parum afficitur. Quarto, ut omnia ejus dicta, facta, & res improbentur, & in malam partem accipiantur. Quinto, ut omnia ei negentur, quæ deſiderat, etſi concedantur aliis.

aliis. Sexto, ut perpetuas patiatur accusationes sui, detractiones, contumelias, convitia, despectus, degradationes, non promotiones, & sit tanquam signum quoddam, in quod vibrentur omnis generis molestiæ. Septimo, ut non habeat ullum sui defensorem, & patronum in persecutionibus, sed sit derelictus ab omnibus, adeoque possit tenero affectu dicere cum Psalte Regio: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me.* Psal. 26. v. 10. Octavo, ut defensiones ejus ab eo non quæsitæ, sed sponte susceptæ ab aliis, cedant in majorem ejus humiliationem & contemptum. Nono, ut ne quidem Deus eum liberet ab iis, quæ patitur, quo magis annihiletur per adversitates & contradictiones.

§. 2. *Quid reipsa a Christiano heroe præstari debeat, cum persecutionem aliquam patitur?*

COnsidera imprimis, an sint vera ea omnia, quæ tibi attribuuntur, teque affligunt, an non? nam si vera sunt, accepta, quidquid pateris, tanquam pœnam peccatis tuis debitam, aut defectus alicujus correctionem: si autem vera non sunt, gaude, quod occasionem habeas aliquid pro Deo tolerandi, & ita Deum tibi obligandi, & arctius devinciendi.

Ani-

Animus tuus ſit vacuus ab omni affectu iræ, averſionis, disguſtus, & vindictæ adverſus perſecutores tuos: nec ſufficiat condonare injuriam, ſed poſitivo & tenero amore eosdem proſequere, eumque amorem ſignis externis prode, & quoties læderis, toties ſingulari beneficio afficere ſtude eos, a quibus læſus es, præſertim tunc, cum ad gradum altiorem v. g. evectus, adverſariis tuis nocere poſſes. Ita ſuadet Chriſtus: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Matth. 5. v. 44. Conare demiſſione tua, & pulchris agendi modis inimicos convertere in amicos, & eos, qui tua cauſa iraſcuntur adverſariis, ſtude ad poſitivam erga illos benevolentiam adducere: attribue perſecutiones tuas non eorum malignitati, ſed bono zelo, & tibi ipſi, & aliis perſuade, eos potius mereri, dum ita te exagitant.

Non inquire, nec curioſe indaga, quid ab adverſariis contra te ſit dictum, factum, aut ſcriptum.

Accuſatus, & forte non audita cauſa condemnatus, non te purga, ſed file. Si interrogeris ab eo, qui habet jus ſciendi, an deliqueris, ad id tantum præciſe reſponde, quod ſufficit ad interrogationem, non commemoratis aliis rebus & circumſtantiis, quæ magis poſſunt declarare innocentiam tuam, & adverſarii culpam.

Non

Non te purga coram adversariis tuis; nec coram iis, qui sunt adversariis tuis addicti, adeoque eos aliter informare possent; nec coram iis, qui defensionem tui essent suscepturi, aut saltem compassuri; nec in genere dic: talia solere homines bonos pati. Sed potius ostende signis externis, te nihil pati, ut sunt: lætitia, fuga solitudinis majoris, &c.

Si accusatores tui vel censores agnoverint innocentiam tuam, & hoc tibi vel aliis significaverint, noli hoc ulli indicare.

Dum vides, aliquid ex se non malum, fieri ab aliquo tibi æquali, cum tua vel nausea, vel displicentia, uti sunt mores quidam inurbani in comedendo, tace, nec mone, nisi te ratio officii tui ad monendum cogat, vel charitatis obligatio.

Si reprehensus es, etiam inique, id nemini patefacias, præsertim tali, qui a reprehensore tuo aversus esset; tum, ne huic præbeas occasionem aversionis ulterioris, tum ne sentias aliquod levamen, quod sentiri solet, dum cruces nostras patefacimus.

Similiter silentio preme leves morbos, dolores, & insomnia, & similes affectiones corpori molestas, ne ex earundem rerum manifestatione tibi tantillum solatii adsciscas.

Adverte tamen, esse certos casus, in quibus silere non convenit. Primo, si Superior

rior jubet, ut rei ſeriem enarres; nam in hoc caſu ſilentium eſſet manifeſtat inobedientia. Secundo, ſi ſilentium tuum vergat in periculum aliorum, noceat communitati, domeſticis, rectæ adminiſtrationi muneris tui; reddat te ineptum judicio credulorum ad occupationes Divinæ gloriæ promovendæ. Verum, quia amor noſtri inordinatus, obfuſcat rationem, non eſt facile timendum, ex noſtri infamatione damnum in alios derivatum iri. Nam experientia docet, multis non profuiſſe excuſationem, nec infamiæ incendium aliorum maledico ore exciratum, potuiſſe reſtingui; defenſionem vero multam bene merendi occaſionem abſtuliſſe; certum etiam eſt, multis vere Deum colentibus, etſi graviſſime infamaris, famæ jacturam, nec officiorum rite obeundorum munus, nec animarum lucra impediviſſe. Itaque, ne decipiaris in hoc negotio, præmitte longas ad Deum preces, conſtitue te in æquilibrio, & potius ad ſilentium propende; denique Confeſſarium aut Superiorem conſule, aut certe talem, quem putaveris magis propenſum ad ſilentium.

Conare heroica compreſſione exurgentis impatientiæ, & multis ad Deum precibus id aſſequi, ut ſuſtineas res adverſas ſine dolore ac mœrore partis inferioris, imo cum gaudio.

Age

Age gratias Deo pro afflictionibus, & adhuc majores pete, ut nempe te Deus in hac vita magis atterat, deprimat, & quodammodo redigat ad nihilum.

Non allevia sensum doloris percepti ex tribulationibus, aut effusione lacrymarum, manifestatione eorum, quæ inique pateris, aut consideratione rerum etiam piarum & sanctarum, si absque tali consideratione possis cruces ita, uti par est, tolerare.

Non desere loca & occupationes, quarum occasione aliquid passus es, nec propterea desiste a bene cœptis, etsi multos siniſtros casus, eventusque in operibus sincera intentione susceptis experiaris. Etiam erga mortuos, qui te afflixerunt, ostende amorem tuum, orando pro illis, & honorifice de illis loquendo.

Etiam cognatos & amicos te tribulantium hoc respectu ama, & benefacies, & omnia ea exhibe, quæ perfecta charitas præstare jubet erga ipsos inimicos.

Si inimici tui in rebus suis habeant successus prosperos, gaude, iisque ex corde gratulare; sin autem habent infelices, dole, & intime eis compatere.

Habeto illum diem pro felici & fausto, in quo passus es aliquid; illum vero pro infelici & infausto, in quo nihil passus es, juxta illud S. Climaci: *Is, qui ad placidam animi quietem,*

tem, & ad Deum currit, omni die, quo maledicta non sustinet, ingens detrimentum se sustinuisse arbitretur.

Contemne adversitates, tanquam res leves, & nullius momenti. Nec reputa unquam pro injuria, quidquid demum inferatur, quia quotidianis nostris in Deum peccatis id omne optime sumus meriti; potius reputa pro beneficio, *quod enim in præsenti est, momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. v. 17.

INSTRUCTIO III.

De amore solitudinis & silentii.

QUanto magis te abstrahis & separas ab hominibus, tanto propius accedis ad Deum. Unde, si Religiosus es, nunquam cubiculo pedem effer, nisi aut necessitas, aut charitas id exigat.

Summo studio vita conversationes & colloquia sive cum domesticis, sive cum externis superflua. Nam id nisi feceris, animum tuum a peccatis immunem minime custodies; namque *in multiloquio non deerit peccatum:* Prov. 10. v. 19. Discindes jucundissimam illam mentis conjunctionem cum Deo, qui loqui solet ad cor eorum, quos duxit in solitudinem, quamdiu in eadem perseverant; &

obſtrues fontem Divinarum conſolationum, queis animæ quietis & taciturnitatis amantes irrigari ſolent.

Præcipue congreſſus & colloquia cum fœminis & rara ſint, & cauta, & neceſſaria; quippe lubricum negotium eſt, ubi minimum lucri ſit maximo periculo. A colloquiis prolixis, quæ cum mulieribus habentur, plerumque reditur cum inſigni conſcientiæ remorſu, & cum magno imperfectionum Angelicæ puritati adverſantium cumulo.

Eſto in rebus tuis valde ſecretus, & quod tacitum eſſe vis, nulli mortalium reveles, nam ita periculum non erit, ut prodaris. Alte imprimendum eſt illud Poetæ: *Silere quod alium voles, primus ſile.* Præcipue conſilia, quæ adhuc executioni tradenda ſunt, nulli aperito, niſi illi, qui eorum debet eſſe particeps. Nam conſilia etiam optima, idcirco ſæpius ſucceſſu carent, quia cito nimis in publicum erupere.

Nihil temere enuntia de rebus, quæ adhuc ſunt in manibus Superiorum, & Providentiæ Divinæ. Nam de his inconſulto & facile aliquid eloqui, eſt fere ſemper falli & fallere: & cum ſæpe res aliter contingant, quam ipſe ſperaveris & edixeris, ita fiet, ut authoritatem tuam propria culpa diminuas, & teipſum, & verba tua ludibrio exponas. Summo ſtudio ſemper cave criſes & vitu-

peria

peria aliorum. Qui libere cenſet & carpit alios, ſemper duobus nocet. Alteri, quia famam ejusdem obſcurat; ſibi ipſi, quia paſſim audiet homo criticus, & in periculo erit, ne alterius, quem læſit, offenſam incurrat, ſi nempe hæc dicta alter ab iis intelligat, quibus eadem credidiſti. De alienis tacere, eſt cum omnibus pacem habere.

Antequam ad loquendum proſilias, expende & præmeditare, quid loquendum ſit. Quo pertinent illa Chryſoſtomi verba: *Et linguæ regulas quasdam, & leges ponamus, ut prius verba ruminet, & ita proferat.*

Si loquendum eſt, eſto in loquendo parciſſimus, nec quidquam eloquere, niſi neceſſarjum ſit, & niſi ad majorem DEI gloriam, & animæ tuæ, aut proximi ſalutem conducat: & ubi plures adſunt, ſine præ te alios loqui, qui toties lingua non offenderunt, quam tu offenderis. Sane eſſet conveniens & maxime decens, ut arcto ſilentio compenſares damna, quæ toties alienæ ſaluti & famæ, divinoque honori, ſcandaloſa & effræni tua lingua contuliſti. Cum os aperis ad loquendum, cogita (quod veriſſimum eſt) verba tua ab ipſo Domino & Conditore univerſorum audiri; timeque apud illam ſupremam Majeſtatem ea ſermone proferre, quæ coram Prælato, aut inculpatæ vitæ homine loqui erubeſceres.

Abſint a verbis tuis omnis duplicitas, inconſideratio, præcipitantia, imprudentia, importunitas, irreverentia, prolixitas, quidquid demum inordinationem aliquam ſapit: & ſi quid contra hæc monita per diem deliqueris, voluntariis pœnis circa veſperum expiare ſtude.

INSTRUCTIO IV.

De obedientia patri ſpirituali exhibenda.

§. 1. *Utrum aſpiranti ad perfectionem neceſſarius ſit Magiſter Spiritus?*

MAgiſtrum Spiritus, ſic Patrem ſpiritualem, hic voco, non ſolum Superiorem legitimum, qui cum jurisdictione præſit, uti præſunt in Eccleſia Epiſcopi & paſtores, & in ſtatibus religioſis Prælati, aliique Superiores, ſed virum quemcunque ſpirituali prudentia, & rerum aſceticarum cognitione ornatum, quem mentis tuæ arbitrum & directorem tibi ipſe elegiſti, vel cui te commendarunt Superiores tui, ut ejus ductu & conſilio in via perfectionis progrediare. Directio talis viri, omnino neceſſaria eſt cuivis homini, qui ſanctitatem aſſequi ſtudet. Id evincunt rationes, quas ſubnecto.

Ratio I. Nulla ars, aut ſcientia recte ſine ma-

magiſtro diſcitur, & quis igitur ſcientiam Sanctorum, artem, inquam, artium, ſublimitate ſua omnino arduam, & captu difficillimam ſine magiſtro ſe plene aſſecuturum ſperet? Bene id ponderat D. Iſidorus: *Ridiculum plane eſt, cum, ut vilium ac mechanicarum artium magiſtros nanciſcamur, huc atque illuc oberremus, Divinam tamen Philoſophiam tanquam vile aliquid ac deſpiciendum nobis committamus.* Lib. 1. Ep. 260.

Ratio II. Quemadmodum in proceſſu & ordine naturæ Divina Providentia ſtatuit, ut non ipſa ſola, ſed una cum cauſis ſecundis res creatas producat & moderetur (ſic enim videmus, hominem gigni ab homine, plantas & metalla aſtrorum influxu procreari) ita & in operibus gratiæ non vult Deus a ſe ſolo immediate fieri omnia, ſed *hoc vult DEUS* (verba ſunt D. Bernardi,) *ut homo per hominem doceatur, & minor majori ſubdatur.* Lib. de ordine vitæ.

Ratio III. Tot ſunt in via Spiritus pericula; tam crebræ & ſubtiles Dæmonis illuſiones; toties hic transfigurat ſe in Angelum lucis; tam ſæpe tingit vitia colore virtutum, & gratias gratis datas, devotionis & lacrymarum donum, ipſos internos Dei inſtinctus, & apparitiones, velut ſimia quædam verſipellis & doloſa imitatur, ut technas illius, vix oculatiſſimi, ac diu multumque in

virtute exercitati viri possint discernere, & tu miselle tyro, tuopte ingenio has omnes Dæmonis artes te agniturum, & propria industria evasurum, tibi stulte persuadeas? Indubitate in te cadet, quod D. Bernardus asserit: *Seductori dat manum, qui dare dissimulat Præceptori.* Serm. 77. in Cant. Et quod Cassianus: *Nullo alio vitio tam præcipitem Diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum eum neglectis consiliis Seniorum, suo judicio persuaserit, definitionique confidere.* Coll. 2. c. 11.

Ratio IV. Jussa Superioris aut Confessarii perficere, est obedire ipsi Deo: & hæc ratio, quia fundamentum & radix omnis obedientiæ est, eam paulo fusius ac solidius stabilire oportet.

§. 2. *Patri Spirituali obedire, est obsequi ipsimet Deo.*

QUamdiu cæcam hanc, fragilemque vitam in hoc mundo vivimus, tamdiu multis non modo dubiis, sed erroribus etiam obnoxius est humanus animus. Labyrinthus enim vero est hic mundus, in quo ne erres, filum illud sequere, quo Divina Providentia gressus tuos dirigere statuit, sequere, inquam, ductum Patris Spiritualis, & sequere in rebus plane omnibus, modo in se peccat rationem non habeant.

Exem-

Exempli cauſa dubius hæres, an hæc habitatio, officiumve tibi expediat, an aliud; ſisne vocatus ad hunc ſtatum Religioſum, an ad alium; quæ pœnitentiæ opera a te ſuſcipi debeant, quoties in ſeptimana geſtandum cilicium, quot uſurpandæ flagellationes, quoties Sacramentis Euchariſtiæ & Pœnitentiæ utendum, ſitne hæc inſpiratio interior a Deo, an a Diabolo; ſitne hæc viſio & revelatio a bono ſpiritu, an a malo; utrum pecuniæ tuæ in rem hanc ſacram, an in illam melius impendantur; in his, inquam omnibus, ad Patrem tuum ſpiritualem recurre; ejus vocem audi, accepta, & ſequere, tanquam vocem ipſius Dei, quamdiu non ſuadet, quod legi Divinæ repugnat.

Chriſtus enim Salvator noſter Patres ſpirituales ſui loco conſtituit, voluitque, ut obediendo illis, cenſeamur obedire ipſi Chriſto, & eorum voluntatem facientes, facere voluntatem ipſiusmet Dei. An non clara ſunt illa Chriſti verba: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc. 10. v. 16. An non & clara ſunt ſanctorum Patrum teſtimonia, hanc veritatem ita, & non aliter explicantium? *Obedientia*, inquit S. Benedictus, *quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur: ipſe enim dicit: qui vos audit, me audit.* in Reg. *Non mea ſponte*, inquit S. Baſilius, *ſed Divinis litteris inductus, affirmo obedientiam, quæ*

adverſus homines antiſtites adhibetur, eſſe ſicut illam, quæ erga Deum ipſum adhibetur, & unam alteri aſſimilari, cum Dominus diſcipulis ſuis dixerit: qui vos audit, me audit. in Conſt. Monaſt. c. 23. Viden' quis ſit Sanctorum hac in re ſenſus? quem tamen ipſi non ſolum verbis, ſed exemplis etiam ſuis teſtatiſſimum reliquere. Quotquot in Eccleſia fuere illuſtres animæ, alto ſpiritu, & excelſis cogitationibus filiorum Dei imbutæ, cæcam illam obedientiam & ſubjectionem perfectam in rebus omnibus (ſi unum peccatum demas) non ſolum erga Superiores, ſed etiam erga conſcientiarum ſuarum arbitros, & ſpiritus moderatores ad unguem exercuere. S. Joannes Damaſcenus Seni, cui ſe regendum crediderat, in re quavis dicto audiens erat, uti in ejus vita teſtatur Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus: & ſenex ipſe cum primum Joannem in curam ſuſciperet, eum in cellam abducens, id pro principio & fundamento monuit: *Ne quid ſuo arbitratu faceret.* S. Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, D. Brunonis conſilia, non ſecus ac paterna imperia amplectebatur. Itaque cum vellet omnes equos ſuos vendere, & pretio pauperibus impertito, pedibus deinceps oves viſitare, & in Evangelicam prædicationem diſcurrere, S. Bruno vir cordatus, id penitus diſſuaſit, veritus, ne vel ſingularitatis, vel levitatis

accu-

accuſaretur; & Hugo Brunoni paruit. S. Carolus Borromæus, etſi Cardinalis S. R. E. & Archi-Epiſcopus Mediolanenſis, & magna rerum humanarum atque Eccleſiaſticarum experientia præditus, pro Duce tamen vitæ ſuæ ſpiritualis elegit primo Joannem Baptiſtam Riberam, deinde Franciſcum Adornum, utrumque Presbyterum e Societate JEſu, cum quibus ille indies conſilia ſua communicabat, & eorum nutui obtemperabat in omnibus. Ipſe S. Pater Ignatius, Societatis JEſu Parens, a Sociis in Præpoſitum Generalem electus, nullis Sociorum ſuffragiis aut precibus, ſed uno Confeſſarii ſui F. Theodoſii ad S. Petri in Janiculo Franciſcani imperio perſuaſus eſt, ut injuncto officio cervicem ſubderet.

Simili ſpiritu fuere etiam inſtructæ ſexus alterius perſonæ, inſigni & extraordinaria vitæ ſanctimonia decoratæ. S. Eliſabetha Regis Hungariæ filia, juſſa a Magiſtro Spirituali, duas chariſſimas comites a ſe dimittere (quod privatam erga familiares affectionem vitæ ſpirituali grande putaret eſſe impedimentum) dimiſit eas illico, non ſine uberibus lacrymis utrimque profuſis. S. Thereſia ex Confeſſarii mandato, librum, quem ſcripſerat in Cantica Salomonis, mirabili ſapientia refertum, in flammas projecit; dicere ſolita: *Si omnes Angeli cœleſtes uniti, ali-*

quid ei dicerent, & Superior vel Confessarius aliud; quamvis sciret, eos esse Angelos Bonos, non quod illi, sed quod Superior juberet, faceret; quia hoc est securius, inquit, *& qui sequitur, decipi non potest.* Hic nempe est spiritus illustrium Sanctorum & Sanctarum; spiritus videlicet obedientiæ perfectæ, a quo quisquis ob rationes humanæ prudentiæ deviat, non ille ducitur spiritu Dei, sed mundi, & politico, quem proh dolor! animæ quædam sciolæ, magno suo dispendio, contra Scripturæ, Patrum, Sanctorum omnium sensum, ac doctrinam, nimis quam sæpe sequuntur.

§. 3. *Qualis esse debeas adversus Patrem Spiritualem?*

SUperiorem, & conscientiæ tuæ arbitrum ama, ut parentem filius. Sed id cave, ne amori illi se immisceat aliquid affectionis minus puræ & defæcatæ.

Eundem reverere, ut terrestrem aliquem Angelum, ac talem, qui supplet vicem ipsius Dei. Mirus hac in re fuit S. Carolus Borromæus, qui, teste Giussano, adeo venerari solebat P. Franciscum Adornum, Confessarium suum, ut indies ei, in eadem secum domo commoranti, lumen ipse ante lucem instar famuli deferret, & dormienti adhuc, intrans cubiculum ejus aut exiens, caput profunde

funde inclinaret, eo modo, quo Cardinales sibi invicem occurrentes, reverentiam exhibere solent.

Accede illum frequenter, veluti ad nutricem infans sæpe solet accurrere: sed in accessu illo nihil specta, nisi solidum fructum spiritualem.

Ubi eum conveneris, non tacitus obmutesce, nec expecta, usque dum variis interrogationibus ipse ex te eliciat, quid tibi desit, sed ultro eidem te aperi, & consilium ejus avide exquire. Aperies autem illi defectus & peccata, in quæ lapsus es; tentationes, quas pateris; scrupulos & inquietudines animi, quæ te affligunt; opera pœnitentiæ, quæ exerces; modum orandi, quem servas; gratias & favores extraordinarios, quos tibi Deus communicavit.

Si quid imperatur, noli rationes investigare, quæ Superiorem moverint ad imperandum, sed tibi sufficiat nosse, id, quod præcipitur, non esse peccatum, & Superiorem esse loco Dei. Ita te docet D. Cassianus: *Hoc præ omnibus excole, ut stultum te facias in hoc mundo, ut sis sapiens; nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his, quæ fuerint imperata, sed cum omni simplicitate & fide obedientiam semper exhibeas; Illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens esse judicans, quidquid tibi vel lex DEI, vel senioris examen in-*

indixerit. Lib. 4. c. 41. S. Ignatius, Societatis JEsu Parens: *Statuatis vobiscum ipsi, quidquid Superior præcipit, ipsius DEI præceptum esse & voluntatem, atque ut ad credenda, quæ Catholica Fides proponit, toto animo, assensuque vestro statim incumbitis: sic ad ea facienda, quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, sine ulla prorsus disquisitione feramini.*

In omnibus plane rebus esto indifferens, & quasi cera in manibus Patris tui Spiritualis, non desidera determinate hoc præ illo, sed hoc age, ut idem omnino velis & nolis, quod ipse. Quodsi desideres magna quædam facere pro Deo, atque de his Superior consultus, eadem tibi negarit, acquiesce ocyus, & opera etiam maxima omitte, ad quæ impellebaris. Quid vis facere id, quod contra voluntatem Superioris, adeoque ipsius Dei est, & quod si feceris, nihil forte, nisi purgatorium mereberis?

Noli agere clandestinis technis, multo minus importuna violentia, ut tuam in sententiam Superiorem pertrahas. *Quisquis vel aperte* (verba sunt D. Bernardi) *vel occulte satagit, ut, quod habet in voluntate, hoc ei Pater Spiritualis injungat, ipse se seducit, si forte sibi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit.*

Superiorum nutus, vel sola voluntatis significa-

ficatio, ſit tibi pro imperio. Ita te monet D. Albertus: *Verus obediens nunquam præceptum expectet, ſed ſolum voluntatem Prælati ſciens vel credens, ferventer exequatur pro præcepto, exemplo Domini noſtri JEſu Chriſti, cui voluntas & complacentia Patris ſummum præceptum fuit.* Vide demum, ut obedientia tua ſit velox, etiam literam inchoatam relinquendo imperfectam; ſit fortis, nullos labores aut difficultates fugiendo; ſit ſedula, nihil negligendo, quod facit ad perfectionem operis imperati; ſit conſtans, imitando ea in re Chriſtum, qui factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.

INSTRUCTIO V.

Modus enitendi ad Angelicam puritatem.

ANgelicam ſtude, mente & corpore, puritatem æmulari, & hoc tuum ſit ſymbolum, quod ſemper in corde, quod in ore, quod in omni actione tua præ te feras: *Malo mori, quam fœdari.* Angelus autem animo eris, ſi nullam in eo impuriorem imaginationem, multo minus deſiderium patiare; ſed ſi te impetat, ſolicite & celeriter repugnes, ne cordis tui penetralia ſubeat.

Angelus eris ore, ſi omni ſtudio caveas, ne unquam ex ore tuo ullum minus pudicum, pro-

probatumque verbulum elabatur; si vites teneros, effœminatos, delicatulos, & affectatos ridendi & loquendi modos; si sermonem abstineas, non modo ab omni re turpi, sed etiam naturali quacunque minus decenti.

Angelus demum eris in actionibus tuis, si in gestu, totius corporis compositione nihil se prodat, quod aliquam vel inverecundiam, vel levitatem, vel liberiorem ac præsidentiorem agendi modum sapiat. Atque hinc incessus tuus sit virilis & maturus, aspectus oculorum non sit nimium mollis, tener & gratiosus, multo minus protervus & impudens. Arceantur oculi ab aspectu speciosorum hominum, etiam proprii corporis, etiam ab otiosa contemplatione propriarum manuum, sintne illæ elegantulæ, mundæ, & bene proportionatæ: abstineantur manus ab omni attactu non modo impuro, sed etiam sensuali manus & faciei alterius. Dum te ad dormiendum componis, nulla pars corporis nuda appareat, & situs jacentis in lecto sit talis, quem etiam in præsentia virorum gravium, si coram his necessario jacendum esset, non erubescerés, vitabisque omnem etiam ulnarum & brachiorum denuditationem, non modo dum sanus, sed etiam dum æger decumbis. Conversatio tua, licet cum personis sanctis, nihil tamen habeat non humanum, aut affectionis minus puræ. Vestitus

quo-

quoque tuus mundus ſit & pudicus : munda cubicula & conclavia, ut nihil in illis ſit inordinatum, nihil minus compoſitum, ut nunquam verecunderis, ſi magnæ authoritatis vir ex improviſo cubiculum ingrediatur, ne videlicet tum neceſſe ſit, aliqua ſubito ex oculis amovere. Exterior hæc compoſitio & mundities index ſit, & argumentum interioris. Quanto caſtior & purior eris, tanto majores habebunt delitias JEſus, Maria & Angeli, ut tecum converſentur.

INSTRUCTIO VI.

Actiones Paupertatis Chriſtianæ ac Religioſæ?

§. 1. *Quæ paupertas quemvis Chriſtianum deceat?*

DIvitias nunquam procurare, aut conſervare ſtude per media illicita, & cum multa cupiditate cordis, ac ſolicitudine inordinata, ut propterea ea, quæ bonum animæ concernunt, negligas.

Fœda ſordities eſt, & labes Chriſtiano pectore indigna, ſi præclara & eximia opera ſumptibus tuis pro Dei gloria, pro animarum ſalute præſtare valeas, eaque negligas, ne exiguo lucro te ipſum defraudes. Chriſtus tua cauſa cœlum deſeruit; vitam tibi ſuam impendit & ſanguinem, & tu modicum pecuniæ Chriſti cauſa nolis deſerere, nec ejus gloriæ impendere?

Lau-

Laudabilis & mos ille est, si alienæ curæ te vestiendum & pascendum committas: sic Thomas Morus hanc curam uni famulorum suorum demandarat, atque hunc Tutorem suum vocavit.

Moderationem serva in vestitu, cibo, supellectile, & ædificiis. Multo satius est, pecunias in pauperes, hoc est, in Christum ipsum, quam in pompam, & ostentationem impendi.

Etsi habeas, qui tibi serviant, in multis tamen rebus, alterius obsequium non admitte, sed adsuesce, interdum tibi ipsi tanquam pauperem servire.

§. 2. *Quæ paupertas conveniat Religioso?*

GRadus Paupertatis excellentissimus est, divitias omnes non solo affectu, sed reipsa relinquere, & a se abdicare in perpetuum, suadente Christo: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 19. v. 21. Recte item Gennadius: *Bonum est, facultates cum dispensatione pauperibus erogare. Melius est, pro intentione sequendi Dominum, in simul donare, & absolutum sollicitudine agere cum Christo.*

Paupertas perfectissima est, si illam voto confirmes, & per promissionem Deo factam, renunties omni dominio ac proprietati, quam in bona tua obtines.

Si

Si autem paupertatis voto te semel obstrinxeris, cave illud violes; violabis autem, & graviter quidem, si rem magni momenti, qualis in materia furti sufficit ad mortale scelus, inscio vel invito Superiore, acceptes, vel dones alteri.

Imo nec leviter violabis, sed in observatione ejus non obligationem tantum tuam, sed perfectionem quoque exactissimam attendes, eamque assequi studebis. Et hinc

In domo religiosa, ubi Superior adest, nunquam quidquam, quantumvis leve, acceptabis aut dabis alteri sub ratihabitione; sed si impedimentum est Superiorem accedendi, acceptationem & dationem differes: nisi forte aliud singularis aliquis casus faciendum urgeret.

De vestibus & cibis, qualescunque demum fuerint, nunquam quereris; sed quo viliores, eo tibi gratiores erunt. Quam multi fuere Sancti, qui nullis precibus, artibusque impelli potuere, ut novis vestibus, aut calceis se indui paterentur.

Absint a cubiculo tuo, quam diu sanus es, omnes cupediæ saccareæ, esculenta, quæ sunt pestes & venena paupertatis & temperantiæ religiosæ.

Altariolum tuum nihil contineat, nisi quod paupertatem sapiat; unam Deiparæ statuam, & signum Christi e Cruce pendentis; Reliquiaria materiæ vulgaris.

Abſtinebis a medicinis frequentibus & pretioſis: in ipſo uſu chartæ & pennarum habeatur ratio paupertatis; ita P. Balthaſar Alvarez exhortationes, quas faciebat, etſi magni eſſent momenti, eas tamen non in munda charta, ſed in operculis literarum ſcribebat.

In uſu librorum & veſtium ſerva munditiem: & libros, ubi uſus fueris, ocyus ſuo loco repone, ut & aliis ſervire poſſint.

In itineribus non curabis tibi menſam nimis laute inſtrui, ſed ea ſolum fercula apparari, quæ exhauſtis labore viæ viribus reparandis ſufficiant.

Nemo de ſenſus illuſtrationibus, & ſpiritualibus conſolationibus ſibi blandiatur, niſi hilari vultu bolum Evangelicæ paupertatis deglutiat. Tunc autem deprehendet, an illam amet, ſi ejus quoque comites amet, famem, ſitim, frigus, contemptum, & in rebus etiam neceſſariis defectum. Recte D Albertus: *Ubi eſt plena neceſſitas, ibi vera non eſt paupertas.* Chriſtus in Cruce, nec frigidam ſiti, nec aſſerem vel ſaxum capiti ſupponendum habuit.

INSTRUCTIO VII.

De perfecta Charitate Proximi.

Dilige Proximum tuum ſicut te ipſum, ſed dilige eum, in ordine ad vitam æternam, adeo ut totum, quod ei deſideras, & pro-

procuras bonum, eo tantum dirigatur, ut proximus in hac vita ſit juſtus, & in altera beatus.

Amor verus non eſt mercenarius, ſed a propriorum commodorum reſpectu omnino liber & purus: unde non amabis, ut iterum ameris; nec benefacies, ut viciſſim benefiat tibi, nec te ideo communicabis alteri, quia ex ejus converſatione guſtum percipis: ſed ideo præciſe, quia ſic placitum eſt Deo, & ab illo præceptum.

Vera charitas non conſiſtit in lenociniis & blanditiis verborum & affectuum, ſed in exhibitione operum. Unde: *Qui habuerit*, inquit D. Joannes, *ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas DEI manet in eo.* 1. Joan. 3. v. 17.

Juva igitur proximum conſilio & re: ſed vide, ne in eo juvando vel latum unguem diſcedas a lege DEI: ſic noli mentiri, jurare falſo, ut liberes proximum a morte: noli furari, ut des eleemoſynam.

Gaude & gratulare de bonis proximi, de virtute, ſapientia, honore, opibus; gaude etiam, ſi proximo melius ſit, quam tibi; Si tibi negetur, quod ipſi conceditur; ſi ille plus honoretur, quam tu.

Gaudium illud internum ſignis externis manifeſta. Unde, ſi proximus petat, honorabis eum præſentia tua, in nativitate filio-

rum, in ſponſalibus, in Miſſarum primitiis, in Academicis inaugurationibus, in funeribus & exequiis. Nam & hæc ſunt Chriſtianæ charitatis opera, & conformia exemplo Chriſti, ſua præſentia nuptias Canæ Galilææ condecorantis, modo fiant ſine reſpectu humano.

Compatere intime alienis miſeriis, ſive eæ corporales, ſive ſpirituales ſint: nam verus amor aliena mala reſpicit, ut propria: cum fratres ſimus, & teneamur alios diligere uti nos ipſos.

In eleemoſynis dandis eſto non parcus, ſed liberalis, non tardus, ſed velox: qui enim cito dat, bis dat: nec curioſe diſcute merita pauperum; tu enim quod das, das Deo.

Nec differ eleemoſynas uſque ad mortem: ſed dum vivis, priva te illa voluptate, quæ capitur ex conſervatione bonorum temporalium, ut ex eorundem profuſione propter Deum facta, Deum oblectes. *Redime te homo, dum vivis*, ſuadet D. Auguſtinus, *dum pretium in manibus habes; ne, dum te mors amara prævenerit, & vitam ſimul & pretium perdas.*

Excita ardentem zelum animarum, & ſtudium hoc juvandi proximum maximi momenti eſſe, firmiter tibi perſuade: etenim certum eſt, promotionem & curam ſalutis animarum Divinæ Majeſtati magis placere,

& majus illi gaudium adferre, majoremque te in cœlis gloriam & coronam per illam promereri, quam per multa alia pietatis & devotionis exercitia. Audi hac ſuper re differentem D. Chryſoſtomum: *Tu igitur, mi frater, quamvis fame conficiaris, quamvis cinerem comedas, quamvis ſemper lacrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis.* Et alio loco: *Etſi immenſas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, ſi unam converteris animam.* Cum D. Chryſoſtomo conſentit S. Gregorius Magnus: *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum.* Cum utroque S. Dionyſius Areopagita: *Omnium divinorum diviniſſimum eſt, cooperari in ſalutem animarum.* Si ergo animarum ſaluti promovendæ talentum aliquod tibi conceſſum eſt, cave illud defodias in terram.

Si aliud præſtare obſequium in hoc genere nequis, frequenter ad Deum preces funde pro converſione gentium, reductione hæreticorum, peccatorum converſione, & ſancta educatione puerorum, & præcipue pro iis, qui vi vocationis & profeſſionis ſuæ, hanc animarum curam exercere tenentur, ut officio ſuo cum laude fungantur & fructu.

Imitare Franciſcum Seraphicum, & exemplo aliis concionari, & ad omnem virtutem prælucere ſtude: eſto inſtar templi Deo ſa-

crati, in quo nihil nisi sanctum, & majori Dei honori dedicatum inveniatur: esto faculæ instar ardentis & lucentis, & sanctitatis suæ radios quaquaversum diffundentis: esto velut columba, balsamo, aliisve odoramentis delibuta, quæ alias secum columbas in cœleste columbarium alliciat.

Cui ex officio incumbit animarum cura, is in conversatione non sit asper & morosus, sed placidus ac dulcis; ad cujusque mores & naturam factus, ut omnes Christo lucrifaciat.

Pro animarum lucro nulla pericula, nullas difficultates, nullos labores, nullas pœnitentias, nec mortem ipsam metue. Oportet in doloribus & angustiis animas parturire Christo.

INSTRUCTIO VIII.

De cultu & veneratione Sanctorum, & festorum illis consecratorum.

§. 1. *Quo pacto colendi sint dies festi.*

AD dies anni solemniores si te rite præparatum cupis, & tempus sanctum sancte traducere, omni imprimis studio conniti debes, ut leves etiam noxas quam diligentissime caveas; & maxima, qua potes, animum tuum exornes conscientiæ puritate, qua

qua & Deus & Sancti ſuaviſſime affici & recreari ſolent. Deinde circa ejusmodi dies exacte obſervare ſtude præſcriptam temporis rationem, & conſueta pietatis exercitia, ſolito perfectius peragere. Nemo enim prudens ibit inficias, magis Deo placere, & Sanctis ejus, ſi quis conſuetas occupationes ſuas quam perfectiſſime obeat, quam ſi neglectis illis, ſingularibus quibusdam devotiunculis adhæreſcat. Hic locum habet tritum illud: *Unum oportet facere, & alterum non omittere.* Tertio, ſi quid moleſtiæ, vel adverſitatis occurrat, ut ſi injuria aliqua, vel contumelioſis verbis laceſſeris a proximo, id non æquo tantum, ſed hilari etiam animo ſuſcipe, & offer JEſu tuo, dilectiſſimæ ejus Matri, aut Divo, cui dies ſacer inſtat, dicendo: *Mi JEſu, tibi hoc offero, tibi dono: amore tui non ulciſcar, ſed bolum hunc lætus devorabo.* Poſtquam autem ſemel donaſti Chriſto, perpetua oblivione ſepeliri, nec unquam recoquendo, aut, quod foret deterius, obmurmurando debet repeti, ne ſpirituale aliquod furtum admittas. Quarto, in operibus humilitatis & charitatis erga proximum diligentius te exerce, viſitando v. g. infirmum aliquem, largiorem dando eleemoſynam, aſſumendo ſpontaneam aliquam tui ipſius confuſionem. Quinto, plus aliquid jejunii aut caſtigationis corporis, aut pietatis

assumi potest, cum consensu tamen & approbatione Confessarii. Sexto, ama secretum, solitudinem & silentium, instituta brevi aliqua recollectione, & relege concepta alias proposita, quæ si te observasse, atque complesse deprehenderis, age Deo gratias, dicendo ad singula: *Deo gratias*, aut *Gloria Patri*, *&c.* sin minus, dole, veniam precare, emendationem sponde: & per merita Sancti, cujus celebritas agitur, gratiam a Deo postula id præstandi. Septimo, toties protestare per diem, quot annis vixit Divus ille, quod in ejus honorem, certum vitium emendare deinceps velis, quo alias labi facile solebas. Octavo, sæpius Deum roga per merita & intercessionem Sancti illius, ut eam tibi virtutem infundat, qua is maxime excelluit, quod fieri opportunissime potest in colloquiis meditationis; in Sacro post Elevationem, & sub Communione; ac denique in fine examinum. Nono, consueta lectio spiritualis, & meditatio instituti possunt de vita Sancti. Decimo, crebro age summo & æterno Deo gratias pro omnibus beneficiis Sancto illi concessis. Undecimo, ipso festo Sancti, & per octavam, assuesce orare hymnum, antiphonam, versiculum, & orationem, quæ festo illi conveniat.

§. 2.

§. 2. *Devotiones pro Adventu & Nativitate Domini.*

EXemplo Japonici Martyris Caroli Spinolæ, in memoriam & honorem novem menſium, queis intra Matris viſcera Chriſtus clauſus delituit, novies devote recita Salutationem Angelicam, recolendo ad ſingulas ſpecialem aliquam gratiam & prærogativam, quam gratiſſimus puſio pro impenſis ſibi per novem menſes obſequiis, Matri ſuæ impertivit. Maria eſt Mater Dei: pete, ut & tu Dei Mater ſias, perfecte implendo, & perficiendo voluntatem DEI, juxta illud: *Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt.* Matth. 12. v. 50. 2. Maria ſimul & Virgo, & Mater eſt: pete abundantiam bonorum operum cum ſumma animi puritate. 3. Maria novem menſium ſpatio in utero ſuo geſtavit filiolum ſuum absque ulla moleſtia vel onere: pete: ut *jugum Domini tibi ſuave ac leve ſit.* 4. Maria ſine dolore peperit: pete, ut omnia bona propoſita cum lætitia, & victorioſo contemptu occurrentium difficultatum, opere perficias. 5. Maria incomprehenſibilem utero ſuo comprehendit; utinam & tu ad recipienda omnis generis dona ſupernaturalia, & gratias divinas idoneus, & capax efficiaris. 6. Maria

puriſſimum templum eſt JEſu ſummi Pontificis; faxit Deus, ut & anima tua ſemper ejusmodi templum inveniatur. 7. Maria penuarium eſt, in quo repoſitum manna cœleſte; age, ut tu digne ſemper ad ſacrum epulum accedas. 8. Maria puriſſimum vellus eſt, quo ſecundus Adam conveſtitur; & tu ad Mariam accurre, tanquam ad Matrem viventium, & in ejus te ſinu abſconde. 9. Maria Virgineus Paradiſus eſt ſecundi Adam; utinam & anima tua hortus foret, ab omni lolio expurgatus.

Sub noctem Natalis Domini ante ſtructum alicubi præſepe devote procumbe, & ante omnia reverenter adora Chriſtum Dominum tuum, *Puerum Bethlehemiticum*, quo ipſum nomine compellare ſolitus eſt S. Franciſcus Seraphicus. Adora autem ipſum talem, qualis eſt, videlicet *tanquam exemplar & formam virtutum omnium, tanquam lucem mundi, tanquam viam, veritatem & vitam, tanquam optimum amicum tuum, fratrem, Principem, Ducem, Magiſtrum, Legislatorem, Redemptorem, Patronum & Mediatorem apud Patrem ſuum, tanquam panem, qui de cœlo deſcendit, tanquam agnum, qui ſuſtulit peccata mundi, tanquam Regem Regum, & Dominum dominantium, ac Judicem vivorum & mortuorum, tanquam Deum fortem, Deum vivum & verum, Deum de Deo, unius cum Patre ſub-*

ſubſtantiæ & naturæ. Singulos hosce titulos mature perpendens, adora recens natum puerulum, & te ipſum totum illi offer, & ſpeciatim, ſi quæ emiſiſti, vota tua, ac propoſitum firmum & efficax nunquam peccandi lethaliter, & venialia etiam peccata, atque imperfectiones omnes diligentiſſime cavendi; ſemper eligendi quod perfectius eſt, &c.

II. Age gratias cœleſti & æterno Patri, quod humanitatem recens nati filii ſui tot ac tantis donis exornarit; Spiritui ſancto, quod Beatiſſimæ Virgini obumbrarit, atque ita opus redemptionis humanæ promoverit; ipſi Infantulo, quod humana ſe carne induerit, factus pro nobis mortalis; ſanctiſſimæ Matri, quod JEſum Redemptorem ac Servatorem noſtrum mundo protulerit; ſancto Joſepho, quod nato puerulo tam ſedulus miniſtrarit; Divis Angelis, quod JEſum laudibus ſuis celebrarint, & paſtoribus annuntiarint; Paſtoribus, quod primi ipſi natum pro nobis Deum agnoverint & adorarint. Denique pium commiſerationis affectum in te excita erga tenellum Infantulum, qui jam tum pro te graviſſimo peccatore pati incipit, & multo adhuc graviora in omnibus ſanctiſſimis membris ſuis toleraturus eſt, ea proinde maxima, qua potes devotione, & cordis affectu venerabundus exoſculare.

§. 3.

§. 3. *Devotiones Quadrageſimæ.*

I. SI præcepto jejunii teneris, ſtricte ſerva, quidquid Eccleſia circa jejunium præcipit, & in hoc imitare viros pios & timoratæ conſcientiæ, & nequaquam eos, qui uti in multis aliis rebus, ita & in jejunando nimis laxi & remiſſi ſunt. Si vero ratione ætatis ad jejunandum nondum obligatus es, nihilominus ſemel atque iterum ex conſilio & conſenſu Patris tui ſpiritualis, præcepto Eccleſiæ te accommoda.

II. Quotidie quinquies Pater & Ave expanſis brachiis recita in honorem quinque ſacratiſſimorum Vulnerum Redemptoris tui.

III. Quotidianæ aſpirationes & precatiunculæ jaculatoriæ ſint: *JEſu crucifixe, miſerere mei. JEſu, in ſanctiſſima Vulnera tua commendo corpus & animam meam. Quis mihi det, ut moriar pro te, mi JEſu, ex amore tui, ſicut tu pro me ex amore mei mori dignatus es? O quando nihil ſciam, nihil amabo aliud, niſi JEſum meum crucifixum? &c.*

IV. Sæpius devote oculos defige in imaginem Chriſti pendentis e cruce: exoſculare ſtigmata vulnerum Chriſti tui, incipiendo a vulnere ſiniſtri pedis, & deſinendo in amabiliſſimi cordis apertura, & ad ſingula oſcula ſingulas petendo gratias aut virtutes, v. g. *Rogo te mi JEſu per pretioſiſſimum ſangui-*

guinem tuum, quem pro me effudisti ex sinistri pedis tui vulnere, miserere mei, & concede mihi, &c.

V. Die Veneris sancto ante erectum alicubi sepulchrum Domini, te in genua provolve, & cum devotione, cruentata & miserrimis modis afflicta Christi Salvatoris tui membra & artus contemplare, & 1. perpende, quos cruciatus ipse in singulis suis membris a principio vitæ, ad finem usque pertulerit: age gratias, & sauciatum Domini tui corpus quam pientissime ac reverentissime dissuavia. 2. defle peccata & scelera tua, quæ in causa fuerunt, ob quam innocentissimus JEsus tam misere ac crudeliter tractatus est: pete remissionem eorum, & propone emendationem. 3. vicissim te offer ad omnia dira & dura amore ejusdem exsorbenda. 4. opta exemplo JEsu & tuam profundere vitam in statu gratiæ, cum ingentibus meritis, cum multarum animarum lucro, citra ullam obligationem pœnæ alicujus adhuc subeundæ in flammis piacularibus, quin potius relinquendo multos & copiosos bonorum operum fructus in thesauro Ecclesiæ, cum optimo vitæ & virtutis exemplo, quod etiam post mortem tuam multi intuentes imitentur, & ad perfectionis studium & Dei amorem accendantur & inflammentur.

§. 4.

§. 4. *Quid circa Paſcha, Pentecoſten, & feſtum Corporis Chriſti præſtandum?*

I. DIe ſacro Paſchæ reſurgentem & poſtliminio in terram revertentem Dominum tuum modo, quo potes, optimo excipe. Adora ipſum tanquam Deum æternum, Conditorem cœli & terræ: venerare & deprædica divinas perfectiones ejus, ſapientiam, potentiam, bonitatem, &c. magnifica & exalta ipſum velut liberaliſſimum Redemptorem tuum, qui totum ſuum ſanguinem pro te redimendo profundere voluit, cum unica guttula pro mille etiam mundis redimendis abunde ſuffeciſſet: gratulare ipſi gloriam Corporis ejus: gaude, & exulta, quod ipſe ſit ſummus Rex, Sacerdos, &c. quod ex Paſſione, & cruciatibus ejus tantus, tamque multiplex fructus redundarit in cœlum & in terram: quod jam duobus ſtipatus choris hominum & Angelorum victorioſus incedat in terris. Offer ipſi exteriores ſenſus & interiores facultates, ac vires animæ tuæ; ac denique tuas, & cæterorum omnium neceſſitates in glorioſiſſima ejus Vulnera committe.

II. In ſolemnitatibus Pentecoſtes omni ſtudio collaborare te oportet, ut cor tuum mundum ſit, humile, pœnitens & ardens; in ejusmodi

modi enim, & non aliud, venire Spiritus ſanctus delectatur: Præterea quotidie recita hymnum: *Veni Creator Spiritus, &c.* vel *Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus, &c.* perſolvi etiam quotidie per totam octavam poſſunt Litaniæ & Officium de ſpiritu ſancto, ac denique crebro per diem ferventer erumpe in has, vel ſimiles aſpiratiunculas: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Pſal. 50.

III. In feſtivitate Corporis Chriſti ſæpius per diem reverenter & devote inviſe & ſaluta Dominum tuum, in ſacra Euchariſtia reconditum, velut Sponſum tuum proſpicientem per cancellos. Illum etiam in Eccleſia locum elige, ex quo tibi liberior detur eius intuendi facultas: in honorem & reverentiam ſacratiſſimi hujus myſterii ſtrictius obſerva leges ſilentii: ad horæ ſonitum devote recita oratiunculam illam: *DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili, &c.* Conſueta aſpiratio tua, quam identidem ingemines, ſit: *Benedictum ſit ſacroſanctum ac venerabile Altaris Sacramentum.* Ter minimum quot diebus, ſcilicet, mane, ſub meridiem, ac veſperi in genua procumbe, & ad quatuor mundi plagas converſus, breviter, at ferventer pete 1. veniam peccatorum illorum,

quæ

quæ contra reverentiam ſacroſancti iſtius Sacramenti in illa mundi plaga committuntur. 2. Age gratias pro omnibus beneficiis virtute ejusdem myſterii tam vivis, quam defunctis conceſſis. 3. Commenda Salvatori tuo in ſacra Euchariſtia præſenti, omnes totius Eccleſiæ, vivorum & mortuorum neceſſitates ſpirituales & corporales, ſed præcipue tuas proprias.

INSTRUCTIO IX.

De cultu & amore Virginis Deiparæ.

CErto tibi perſuade, & firmiſſime imprime animis omnium, quoscunque in viam perfectionis dirigis, efficaciſſimum ac potentiſſimum eſſe medium ad conſequendum non vulgarem ſanctitatis gradum, ſpeciali devotionis affectu ferri in glorioſiſſimam cœli Reginam, & tenero quodam amoris igne ſuccenſum erga benigniſſimam illam Matrem pectus gerere. Hæc etenim Mater clavem auream gerit cordis filii ſui, in quo reconditi ſunt omnes donorum cœleſtium & divinorum gazæ & theſauri. Poteſt nos juvare, quia patrocinio ſuo omnia poteſt apud filium, qui nos omnia habere vult per MARIAM: vult juvare, quia diligentes ſe diligit: ac proinde, quæcunque te infeſtet tenta-

tatio, quamcunque conſequi deſideras virtutem, ſecurus confuge ad MARIAM, hæc tibi inſtar ſolicitæ Matris gratiam efficacem procurabit, qua & de tentatione triumphare, & virtutem deſideratam adipiſci queas.

Firmiter apud animum tuum conſtitue, nihil unquam poſtulare aut impetrare a Chriſto, niſi per Virgineam Matrem ejus. Nonne abjectiſſimus terræ vermiculus es? Nunquid ſordidiſſimus homuncio, omnis generis ſceleribus contaminatus & conſpurcatus? Qua igitur fronte ad JEſum, id eſt, ad Deum excelſum, & magnum ſuper omnes Deos, immediate audebis accedere? Quocirca, ſicut apud cœleſtem Patrem Mediator tuus eſt Chriſtus, ita apud Filium Patrona & Advocata ſit MARIA: multo acceptius erit ipſi, quod per manus dilectiſſimæ Matris, quam quod per tuas offeretur: arctius etiam ipſam tibi Matrem obſtringes, quod donum nullum cœleſte, niſi per ejus manus tibi obvenire velis.

Nullum opus perages, in quo non ſingularis aliquis devotionis & amoris erga Deiparam affectus eluceſcat. Uti & praxes ſingulorum operum ſupra poſitæ te docent. Eris velut ſedula & irrequieta apicula, quæ ſuaviſſimum Mariani amoris mel ubique exugat, & Mariæ memoriam & amorem cuivis actioni admiſceat.

Veneratione peculiari prosequere nomen Mariæ, & dum horæ sonitum audis, devote recita Salutationem Angelicam, & ad sanctum Nomen ejus aut caput detege, aut corpus inclina, aliudve reverentiæ signum exhibe. Quoties in nova pagina scribere incipis, in fronte nomen JEsu ac Mariæ consigna. Cum calamum paras, prima, quæ illo exares verba, JEsus & Maria sunto. Sæpius, sed reverenter ac devote dulcissimum illud Nomen pronuncia: Illo ipso mane ac vesperi pectus tuum muni tanquam tutissimo adversus omnes insultus Dæmonis clypeo vel lorica.

Simili devotione & honore prosequere Deiparæ imagines & simulacra. Certam habeas iconem ejus, quam singulari semper pietate colas: hanc osculare millies, incipiendo a pedibus, & inde ad sanctissimam faciem progrediendo: ante hanc in genua prostratus, omnes tuas preces, quantum occasio finit, persolve. In necessitate vel angustiis constitutus, eas schedulæ commissas ad pedes ejus depone: Cum in itinere versaris, eam velut Altare domesticum circumfer: tempore verno atque æstivo floribus & sertis exorna, & quos semel ei consecrasti flosculos, eos nunquam olfaciendi causa naribus deinceps admove. Operæ quoque pretium erit, in quatuor cubiculi angulis Deiparæ Imaginem

fige-

figere, ut, quocunque te vertas, ſemper illa in oculos atque animum incurrat; præcipue autem cubiculi foribus appendere, & intrando, exeundoque poſt ſumptam aquam luſtralem oſculum eidem delibare. Quodſi humi abjectam ejusdem Divæ Imagunculam reperies, quantumvis vilem, laceram ac ſordidam, reverenter, & cum baſio tolle, ac loco honeſtiore repone. Nunquam etiam expoſitam publice alicubi magnæ iſtius Matris ſtatuam præteribis, quin argumentum aliquod honoris & reverentiæ exhibeas.

Dies Virgini ſacri devotione maxima celebrentur: pridiano eos jejunio præveni, & per fugam ſolertiorem omnium defectuum, frequentationem actuum virtutum ipſi magis acceptarum, & operum humilitatis & pœnitentiæ amore ipſius ſuſceptorum ad eos dies te præpara: ipſis vero diebus ſacro Euchariſtiæ epulo reficere: quid enim aut potius aut gratius magnæ illi ac piæ Matri donare poteris, quam proprium ipſius ac dilectiſſimum Filium JEſum? Reliquum vero diei, tacendo, precando, legendis libris ſpiritualibus, audiendo verba Dei, & pie colloquendo conſume.

Statas habeto precatiunculas, quas quotidie in Deiparæ honorem decurras, ante omnes alias vero Roſarium, in quo perſolvendo ad tres primas Salutationes Angelicas ſa-

luta illam tanquam filiam æterni Patris, Matrem Filii, & Sponſam Spiritus ſancti, ad decem reliquas ſingularum decadum conſidera eandem ut reginam Angelorum; Spem Patriarcharum; Illuminatricem Prophetarum; Magiſtram Apoſtolorum; Principem Martyrum; Decus Confeſſorum; Virginem virginum; Exemplar viduarum; Speculum amoris conjugalis; Reginam Sanctorum omnium. Ad ſingulas item ſalutationes etiam depoſce virtutem. 1. Ingentem & eximium erga Deum, JEſum, & Mariam amorem. 2. Firmam in Deo fiduciam in quibuscunque neceſſitatibus & anguſtiis. 3. Claram notitiam articulorum fidei. 4. Zelum ardentem gloriæ Dei, & ſalutis proximorum. 5. Animi fortitudinem excelſam in adverſitatibus. 6. Cor pœnitens & humile. 7. Summam animi puritatem. 8. Donum orationis, ſilentii & ſolitudinis, 9. Charitatem erga proximum. 10. Denique plenitudinem omnium virtutum, & totius ſanctitatis, & in omni bono perſeverantiam uſque ad mortem. Alias devolvendo globulos tuos precatorios loco Salutationum Angelicarum, aliam affectu plenam ſententiam devote pronuncia, v. g. *O Sanctiſſima Virgo Maria, Mater Dei, ora pro me JEſum*, vel, *Mater admirabilis ora pro me.* Vel, *Tuus ego ſum, o Maria, tu mea es in æternum, &c.* Quotidie quoque, ſi ul-

lo

lo modo per occupationes licet, perſolve Officium B. V. parvum, & quod eſt de Immaculata ejus Conceptione, cum Litaniis Lauretanis.

Magnam ſemper concipe de Beatiſſima Virgine, & omnibus ad eam ſpectantibus exiſtimationem: ita cum Viris ſanctiſſimis atque doctiſſimis certo tibi perſuadeas, eam jam ab utero Matris uſu rationis præditam fuiſſe: magnitudine & multitudine meritorum & gratiæ antecedere Sanctos omnes, & ſine noxa originali conceptam fuiſſe. Pro hac ultima veritate & vitam ac ſanguinem profundere paratus eſto, & ad ejus propugnationem voto aut juramento te obſtringe.

Quotidie quaſi in ſcena aliqua perſonam age mendici, qui ante fores potentiſſimæ Reginæ ac clementiſſimæ Dominæ ſuæ propoſitis neceſſitatibus ſuis ſtipem atque eleemoſynam petat. 1. Itaque, actum amoris intenſiſſimum elice erga Virginem Deiparam, & gratulare ipſi de omnibus prærogativis & privilegiis ejus. 2. Gratias age pro omnibus beneficiis hactenus ab ipſa in te tam benigne & copioſe collatis. 3. Recenſe ac propone neceſſitates tuas, & a Matre miſericordiæ maternam opem implora, ut defectus omnes, & imperfectiones corrigere, & in virtutibus provehi poſſis. Ubi & hoc obſerva, ut congruentes virtutibus, quas po-

ſtulas, honorum titulos, quibus eam compelles, uſurpare noveris: v. g. *O Regina demiſſiſſima, omnis humilitatis forma & exemplar, noſti ſuperbiam & arrogantiam meam, impetra igitur mihi apud dilectiſſimum filium tuum profundiſſimam humilitatem cordis, &c.* 4. Nominatim commenda eidem omnes dilectos tibi amicos. 5. Praxi huic & devotioni finem imponat precatiuncula illa: Sub tuum præſidium, &c.

Cum pro defunctis oraveris, illi animæ potiſſimum ſuccurrere intende, quam per preces tuas juvari maxime optat Beatiſſima Virgo. Simile quid præſta, cum pro converſione peccatorum, infidelium, hæreticorum, pias ad Deum preces fundis, ut illi potiſſimum ad meliorem frugem redeant, quorum ſalus maxime curæ & cordi eſt Deiparæ Virgini.

Denique ſatis tibi non erit, quod tu ipſe quotidie creſcas in amore ac devotione erga glorioſiſſimam illam cœli Reginam, ſed & in aliis eandem pro viribus amplificare ſtudeas, docendo, concionando, ſcribendo, loquendo, exemplo aliis prælucendo, & quibuscunque aliis modis potes. Facem te eſſe oportet, quæ & amore Mariæ in ardeſcendo conſumatur, & aliorum omnium animos eodem igne inflammet. Ita faxit benigniſſimus Deus.

IN-

INSTRUCTIO X.

De Fide, Spe, & Charitate in Deum.

§. 1. *Quæ ſint actiones fidei perfectæ ?*

SUpponenda eſt imprimis definitio fidei, quæ aliud nihil eſt, quam virtus quædam intellectualis Theologica, qua aſſentimur myſteriis revelatis, propter auctoritatem Dei revelantis.

Magna ſimplicitate captiva intellectum in obſequium fidei, quoad omnes Veritates Chriſtianas, præcipue difficiliores, v. g. Sanctiſſimæ Trinitatis, Euchariſtiæ, Reſurrectionis corporum, &c. Atque interdum fuſius, interdum brevius circa hæc myſteria actus fidei elicito.

Sæpius, & ſingulari cum mentis guſtu aſſueſce recitare ſymbolum Apoſtolicum, Nicænum, S. Athanaſii, item Profeſſionem fidei ex mente Concilii Tridentini, quam tibi quoque prælegi curabis, ſi forte in morbum aliquem incideris.

Quotiescunque actio aliqua eſt inchoanda, exerceatur fides, maxime circa ubique præſentem Deum.

Ama ſimiliter Martyres, qui pro Chriſti fide ſanguinem ſuum fuderunt, & pete a Deo ſæpius, ut tibi detur pro fide mori, &

ſi neceſſe ſit fidem tuam reipſa profiteri, loquere de teſtimoniis Dei in conſpectu Regum, etſi mortem minantium, & noli confundi.

Exhorre omne id, quod hæreſim ſapit. Unde ſummo ſtudio fugies hæreticorum conſortia, conciones, libros. Tali horrore tenebatur S. Antonius, de quo D. Athanaſius ita teſtatur: *Manichæis, aut aliis hæreticis nunquam ſaltem amicabilia verba largitus eſt, denuncians talium amicitiam atque ſermones perditionem eſſe animæ. Sic etiam Arianos deteſtabatur, ut omnibus diceret, ne juxta quidem eos eſſe accedendum. Et ipſe jam moriturus: Hæreticorum, inquit, & Schiſmaticorum venena vitate, meumque circa eos odium ſectamini: Scitis ipſi, quod nullus mihi nec pacificus quidem ſermo cum iis unquam fuerit.*

Verba Scripturæ Sacræ ſumma ſemper reverentia excipe, & eadem ad res ludicras, aut minus puras nunquam detorque. Averſare omnem doctrinam minus tutam, & ſenſui Patrum, & Eccleſiæ minus conformem.

Ede profeſſionem fidei, & jurejurando confirma, fidei Romano-Catholicæ in omnibus plane articulis uſque ad vitæ finem te conſtanter adhæſurum.



§. 2.

§. 2. Quomodo ſperandum ſit in Deo?

FIrmiter ſpera, conſecuturum te a Deo ſalutem æternam: habemus enim bonum Dominum, qui ſalvare nos velit & deſideret; potentem, qui poſſit omnia; fidelem, qui ſalutem nobis promiſit; & quod promiſit, infallibiliter ſervet; habemus etiam Advocatum apud Patrem, Chriſtum juſtum, cujus infinita merita pro nobis ſupplicant; habemus denique cæli Reginam, Matrem miſericordiæ, & tot Sanctorum millia, qui ſuis nos precibus adjuvant. Et de ſalute tua tu adhuc dubitas? *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Matth. 14. v. 21.

Sperari debet non ſolum vita æterna, ſed etiam quidquid ad eam obtinendam tibi neceſſarium eſt, uti ſunt remiſſio peccatorum, gratia & virtutes.

Unde poſtquam peccata confeſſus es, noli eſſe anxius, an ea ſint remiſſa. Similiter noli eſſe anxius aut diffidens de emendatione peccatorum in futurum: ſed centies ſi laberis, centies reſurge. Homo es, non Angelus, & licet magna ſit fragilitas tua, major tamen eſt Dei potentia & bonitas. Omnes itaque cogitationes, quæ in te minuere incipient fiduciam erga Deum, & ingenerare puſillanimitatem ac triſtitiam cor conſtringentem, tanquam blaſphemas rejice. E con-

trario illas fove, quæ tibi addunt animum, & lætitiam in obſequio Dei, & ſpem erga Dominum Deum augent.

Dum quid moliris pro Dei gloria, etſi multa ſiniſtra interveniant, tu tamen animo non cades, ſed ſemper illud Abrahæ Patriarchæ uſurpabis: *Deus providebit.* Geneſ. 22. v. 8. Crede mihi, miras habet Divina Providentia vias, quibus conatus ſuorum ad exitum felicem perducat. Unde audi monentem Prophetam: *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes, qui ſperatis in Domino.* Pſal. 30. v. ult.

Libere in omnia peccata proruere, & tamen de ſalute ſua velle confidere, non eſt ſpes, ſed temeritas. *Beneplacitum eſt Domino*, inquit Pſalmiſta, *ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus.* Pſal. 146. v. 11. Oportet cum D. Magdalena utrumque pedem amplecti, pedem inquam juſtitiæ, & pedem miſericordiæ, & ſi illa te terret, hæc te erigat.

Si quid in precibus a Deo poſtulas, nihil dubita te impetraturum, modo quod poſtulas, tuæ ſaluti & divinæ gloriæ conducat.

Præclare D. Chryſoſtomus: *Si cum hoc ſtudio mentis acceſſeris, & dixeris: Niſi accepero, non recedam, prorſus accipies: ſi modo talia poſtulaveris, quæ & illum, qui rogatur, dare deceat,*

&

& accipere tibi, quiprecaris, expediat. Hom. 14. in Matth.

§. 3. *Actus amoris erga Deum.*

BEne apprehende, quid ſit purus & perfectus amor erga Deum, quem ita deſcribit D. Auguſtinus: *Charitas eſt virtus, conjungens nos Deo, qua ipſum diligimus, diligimus, inquam, propter ſeipſum.* Lib. 6. de mor. Eccleſ. c. 11.

In omnibus igitur operibus tuis ſinceriſſima intentione procedes; eaque perages non ex timore pœnæ; nam id faciunt ſervi & mancipia; nec ſpe præmii, ne videaris velle eſſe mercenarius; ſed ex puro Dei amore & ſtudio eidem placendi, quod eſt munus filiorum ingenuorum, qui obſequuntur etiam parentibus egenis, quamvis nullam ab his hæreditatem expectent. Imo ſanctus Bernardus putat, amorem filii nondum eſſe ſat purum, ob ſpem aliquam hæreditatis adhuc mixtam, hinc vult nos amare Deum, uti Sponſa amat Sponſum.

Puriſſima intentio erit, ſi, quod facis, non ideo facis, ut propterea tu placeas Deo, ſed quia id, quod facis, Deo placet, Deum honorat, Deum oblectat. Solius Dei guſtum & gloriam ſpecta ſine ullo affectu ad commoda tua etiam ſpiritualia. Ipſa dona ſupernaturalia non petes, quia cedunt in bonum tu-

tuum, ſed quia per hæc impletur Dei voluntas, & quia his in te viſis cor Dei oblectatur: ita ſuadet S. Paulus: *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10. v. 31. Et Clemens Alexandrinus: *Qui perfectus eſt, opus bonum eo ſolo expetit, quoniam honeſtum eſt, & quia Deum amat. Ea operum ipſius cauſa longe graviſſima eſt. Auſim enim dicere, non eo operatur, quod ſalvus eſſe velit.*

Porro ſi agnoſcere velis, an tam pura intentione in operibus tuis procedas, id ex eo colliges. 1. Si ægre fers opera tua vituperari, aut non laudari, aut non ſuccedere, ideoque cupias ab iisdem deſiſtere, ſignum eſt te non pure quærere Deum. 2. Si minus diligenter te præparas ad conciones, v. g. quando habendæ ſunt in loco vili, & coram paucis auditoribus, ac te præparare ſoles, cum dicendum eſt coram multis, & hoc ſignum eſt, te præter Deum adhuc ſpectare plauſum populi.

Porro praxis intentionis tam puræ erit hæc. Elige tibi certos Sanctos, per quorum manus actiones tuas offeras Deo, v. g. Die Dominico venerare particulares tuos Patronos; die Lunæ, ſanctos Parvulos Innocentes; Martis, Virgines & Viduas; Mercurii, Confeſſores; Jovis, Martyres; Veneris, Apoſtolos; Sabbathi, Angelos. Mane ergo cum ſur-

ſurgis, ita intentionem formabis: *Ego N.* (inſere nomen tuum) *conſpectu & acceſſu Divinæ Majeſtatis indigniſſimus, omnia mea verba, cogitationes & opera, omnes corporis animique motus vobis offero, o ſancti Parvuli Innocentes, & tibi etiam* (nomina Patronum menſtruum & annuum, item Sanctum, cujus Feſtum eo die Eccleſia celebrat) *Vos offerte Reginæ Matri, Regina Mater dignetur viliſſima mea obſequia præſentare JEſu filio, & JEſus filius æterno Patri, imprimis in gratiarum actionem pro beneficiis omnibus, mihi & vobis a Divina Majeſtate conceſſis, ſecundo in ſatisfactionem iſtorum peccatorum, quæ admiſit anima illa, quam Beata Virgo præ aliis ex Purgatorio vult eſſe liberatam. Tertio ad impetrandam mihi, aliisque gratiam copioſam proficiendi valde in iis virtutibus, quæ maxime placent Divinæ Majeſtati, &c. Proteſtor tamen: Etiamſi toto hoc die nihil ſim impetraturus, modo poſſim aliquid facere, quod ſuæ Majeſtati placeat, hoc mihi erit præmii ſatis, nec quidquam pro meis obſequiis deſidero, niſi majorem Dei gloriam, guſtum, & oblectationem.*

Hic modus faciendæ intentionis eſt valde perfectus, & in ſe continet humilitatem profundam, gratitudinem pro beneficiis, deteſtationem peccati, inſignem amorem proximi, Sanctorum, Deiparæ, & ipſius Dei, adeo-

adeoque opera diurna, quæ ex motivis tot virtutum fient, erunt Deo ſumme accepta.

Generoſo pede calca omnem reſpectum humanum, nec in hominis gratiam aliquid mali facito, aut boni aliquid omittito. Operare ſemper corde libero, excelſoque, quod iniqua hominum judicia non metuat, & opiniones honorificas non ambiat. Alloquere Deum ſæpius, & proteſtare: *Domine, tibi ſoli.* Ita ſentiebat D. Paulus, inquiens: *Mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die, qui autem judicat me, Dominus eſt.* 1. Cor. 4. v. 3.

Experientia diſces, debere cor ſeparari ab omnibus creaturis, & vitam eſſe inſtituendam, ac ſi præter te & Deum nihil ſit aliud in orbe, ſiquidem quiete animi ſolida & conſtante frui velis. Si vel unicus homo ſit, ex quo ſolatii aliquid & recreatiunculæ minus ſanctæ & defæcatæ adhuc ſperas, ideoque colloquium & converſationem ejus avide expetis, crede mihi multa tædia, & disguſtus & inquietudines ab illo ipſo homine tibi evenient, ita videlicet diſponente Deo, & cor tuum totum ad ſe attrahente, ut tandem practice diſcas ſentire, & dicere cum Sancto Ignatio: *Domine, quid extra te volo, aut quid velim?*

In ipſis exercitiis pietatis nihil quære, niſi Deum. Velle triſtari, dum Chriſti præſentia

tia devotione & gustu sensibili non sentitur, est amor imperfectus & sensualis, adeoque eliminandus. Contentus esse debes solo Christo, illique adhærere tempore ariditatum & tentationum, & eum quasi juvare in cruce sua ferenda. B. Ludovicus Bertrandus, cum aliquando molesta cogitatione infestaretur, audivit Deum se alloquentem: *DEO magis placet afflictio cordis, contritio & tribulatio, quam dulcedo, solatium & consolatio.*

Cum amor consistat ex mente S. Patris nostri Ignatii, in mutua facultatum, rerum, & operum communicatione, debes id Deo consecrare, & penitus transcribere, quod tibi est chariſſimum. Unde, si inordinate amas opes, has Dei causa profundes; si valde pendeas ad elationem animi, studebis despicientiæ tui ipsius. Hæc est excellens Deum honorandi ratio, si ex respectu Dei te ipsum inhonores, atque hanc inhonorationem tuique contemptum pro summa gloria reputes. Recte Chrysostomus: *Probrum autem, & dedecus quid sit, ignorat charitas.* Amor Dei vehemens, piam quandam impudentiam parit, & omnem extinguit humani pudoris, metusque sensum.

Veriſſimum est, quod ait S. Gregorius: *Signum amoris non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis.* lib. 2. in 1. Reg. 4. Unde, si vere Deum diligis, parebis exa-

exacte Dei præceptis, monitis Confeſſariorum, Superiorum imperiis, Angeli tui inſpirationibus: Vota, quæ edidiſti, propoſita, quæ concepiſti, ſervabis ad unguem: malles millies mori, quam leviſſima culpa Deum deliberate offendere: minimas etiam temporis particulas operibus meritoriis ſemper occupabis: In omnibus actionibus Deum puriſſime quæres, & quidquid facies, exquiſita diligentia facies, ut tanto majorem guſtum Deus percipiat.

Inter opera, ea ſemper amplecteris, quæ ſunt perfectiora, & divinæ gloriæ magis conducibilia. Unde illa præeliges, quæ ſunt neceſſaria, ardua, amori proprio repugnantia, conjuncta majore cum ignominia, item ex quibus ſpiritualis fructus conſtantior, & in plures redundat. Gloriaberis cum Apoſtolo in cruce, tantum abeſt, ut eadem triſtaris, & dejiciare. Dolebis impenſe de peccatis tuis, & alienis, omnemque lapidem movebis, ut ea impedias. Gaudebis ſumme non ſolum de perfectionibus Dei intrinſecis, quia bona ipſius ſunt, ſed etiam de omni cultu & obſequio, quod exhibent in cœlis beati, in terra homines, in orbe univerſæ creaturæ. Nullam omittes occaſionem divinæ gloriæ propagandæ, & colloquiis tuis, exemplis optimis, modo ſancte operandi, omnium animos in Dei amorem inflammabis. Hoc ſcilicet eſt amare Deum.

CA-

CAPUT VIII.

Pii affectus cupientis ſancte mori.

DEſideras, Chriſtiane Theophile, mortem ſanctam? Stude prius vitam ſanctam ducere: nam qualis vita, finis ita: tum tempore morbi obſerva, quæ modo te moneo.

Omnes morbi dolores fer animo pacato, & morbum ipſum accepta tanquam ſingulare Dei beneficium, & tanquam medium, quo ipſe ſalutem tuam impenſe promovebit. Nam diligentibus DEUM, & iis, qui ad vitam prædeſtinati ſunt æternam, omnia cooperantur in bonum. Materies itaque non querimoniæ, ſed gratiarum actionis, eſt morbus.

Si quid in obſequiis aut cibis circa te negligatur, noli propterea turbari & queri, ſed ſtude in praxin ea redigere, quæ perfectus crucis amator Chriſti exemplo præſtare debet, & quæ ſupra capite 7. ſunt explicata.

Medico, & quibus tui cura demandata eſt, amore JEſu tui, pro te obedientis uſque ad mortem, & tu obtempera in omnibus.

Medicinas ac potiones etiam amaras, generoſe exſorbe, memor fellis & aceti prote a Chriſto deguſtati.

Si tibi bona ſint temporalia, de iis mature diſpone, & in hac diſpoſitione majorem Dei gloriam intuens, & majus animæ tuæ bonum, cave, ne Chriſti & pauperum obliviſcare. Iis tamen, ad quæ exſolvenda juſtitia te obligat, prius ſatisfacies, quam ad ultronea charitatis opera deſcendas.

Prima tibi ſit cura animæ, quam in tempore Sacramentis omnibus muniri curabis. In hoc tam arduo negotio, a quo ſalus, & damnatio pendet æterna, ſatius eſt prævenire, quam præveniri.

Ante ſuſceptionem Sacramentorum, ſi quæ diſſenſio inter te, aliosve interceſſit, ea penitus aboleatur: & veniam offenſæ non modo precaberis ab altero, ſed veniam quoque non rogatus concedes, certus, non eſſe tibi a Deo remittenda debita, niſi tu prius debitoribus tuis remiſeris.

Dum æger es, id age, ut mens tua cogitationibus ſanctis occupetur. Ideoque interdum tibi prælegi curabis aliquid de Paſſione Chriſti, de obitu Sancti alicujus illuſtris, de cruciatibus fortiſſimorum Martyrum, aut certe orationes aliquas plenas ſucco veræ pietatis, quarum penuria ne labores, ecce tibi id genus complures in præſenti parte ſubjicio.

Pre-

Preces recitandæ a Sacerdote pro ſanitate ægri.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

VIrtutum cœleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius famulo tuo (famulæ tuæ) ut fugatis infirmitatibus & viribus receptis, nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, &c.

JEſus Mariæ filius, mundi ſalus & Dominus, meritis & interceſſione Virginis Matris ſuæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, N. N. & omnium Sanctorum ſit tibi clemens & propitius, Amen. ℣. Sana me Domine, & ſanabor. ℟. Salvum me fac, & ſalvus ero. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum &c.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Marcum.
℟. *Gloria tibi Domine.*

IN illo tempore, recumbentibus undecim diſcipulis, apparuit illis JEſus, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe,

non crediderunt, & dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: supra ægros manus imponent, & bene habebunt.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c. ℣. Et ne nos inducas, &c. ℣. Salvum fac servum tuum Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum.

Oremus.

DOmine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam, ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad invocationem nominis tui benignus assiste, ut famulum tuum (famulam tuam) ab ægritudine liberatum (liberatam) & sanitati donatum (donatam)

tam) dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ sanctæ, cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Dominum nostrum, &c.

EXERCITIA VIRTUTUM PRÆCIPUARUM.

Exercitium Fidei.

CRedis, o anima Christiana, quidquid credendum proponit sancta Mater Ecclesia? ℟. Credo.

Credis Deum esse unum in substantia, & trinum in personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum? ℟. Credo.

Credis secundam in Trinitate Personam, Filium scilicet amore tui incarnatum de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & hominem factum, & pro te in cruce mortuum? ℟. Credo.

Credis in sanctissimo Altaris Sacramento contineri verum Corpus & Sanguinem Redemptoris ac Salvatoris tui JEsu? Credo.

Credis cœlum esse, ubi sine fine gaudebunt electi, & quotquot Deo impense servierunt, dum viverent? ℟. Credo.

Credis infernum esse, in quo æternum punientur reprobi, & quotquot unius etiam lethiferi criminis rei decesserunt e vita? ℟. Credo.

Verbo, credis omnia, quæcunqe credenda proponit ſancta Mater Eccleſia, ſive illa ſcripta ſint, ſive non ſint? ℟. Credo.

Et credis hæc omnia, quia Deus, qui nec falli poteſt, nec fallere, ita revelavit? ℟. Credo.

Itaque, quod corde credimus, ore profiteamur, & una recitemus Symbolum Apoſtolorum: Credo in Deum Patrem, &c.

Actus Fidei.

CRedo in te, o ſuprema Veritas, &c. pag. 241.

Exercitium Spei.

ERigere anima, pretioſiſſimo Chriſti ſanguine redempta, & ſi meritis atque operibus tuis, quæ exigua ſunt & imperfecta, parum confidis, ſenti nihilominus de Domino in bonitate: Et quidni bene ſperes de optimi patris clementia, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere? ℟. Spero.

Speras etiam in meritis JEſu Chriſti, quæ indigno licet applicare paratus eſt, & in acerbiſſimis ejus cruciatibus, ac morte pro te obita, ut te præſervaret a morte ſecunda, & cruciatibus ſempiternis? ℟. Spero.

Speras (vel confidis) etiam poſt Deum in potenti Matris miſericordiæ, Angeli Tutelaris, & reliquorum Cœlitum patrocinio? ℟. Spero.

Non-

Nonne & ſperas ex infinita Dei bonitate ac miſericordia in hac vita tibi obventura omnia, quæ ad beatitudinem conſequendam ſunt neceſſaria, ac demum vitam æternam? ℟. Spero.

Eccur ſperas hæc omnia? Nonne fretus Omnipotentia Divina, quæ poteſt, & Bonitate, quæ vult, ac denique Fidelitate, quæ debet, ſuccurrere miſero, quia promiſit? ℟. Ideo ſpero.

Age ergo, ſpem animo conceptam ore exprimamus, & una recitemus Orationem Dominicam: Pater noſter, &c.

Actus Spei.

SPero in te, o æterna felicitas; tu es deſideriorum finis, &c. pag. 242.

Exercitium Charitatis.

ASſurge hic anima Chriſtiana, & reliquas corporis, animique vires collige; agendum eſt hic negotium omnium negotiorum maximum.

Age ergo, nonne Deum tuum, Deum, inquam, tuum amas ex toto corde ſuper omnia? ℟. Amo.

Ipſe eſt Pater tuus, qui corpus dedit & animam: ipſe eſt Redemptor tuus, qui in cruce pro te vitam profudit & ſanguinem: ipſe eſt ſummus Benefactor tuus, qui innume-

ris beneficiis hactenus in te collatis, plura adjiciet conferenda in cœlis: nonne vel ideo eundem amas? R. Amo.

Ipse est pulcherrimus, optimus, maximus, ipse est summum & infinitum bonum, tua simul & sua ipsius beatitudo. Nonne igitur amas nullo non amore dignissimum? R. Amo.

Et doles ex animo, quod Deum tuum adeo bonum ullo unquam etiam levissimo peccato offenderis? R. Doleo ex animo.

Proponis ergo serio vitæ adhuc superstitis emendationem? R. Propono.

Et ut rigori Justitiæ Divinæ fiat satis, quoscunque dolores, quascunque molestias ac morbi tædia æquo feres animo? R. Feram.

Age ergo, amorem illum, quo Deum tuum prosequeris, ac dolorem, quo peccata præterita detestaris, voce exprime, ac me in verba præeuntem sequere. Dicamus ergo pariter toto cordis affectu:

O DEUS, summe Benefactor meus, ago tibi gratias pro universis beneficiis tuis. Amo te Deus meus, summum bonum meum, amo te super omnia; & doleo medullitus, quod unquam offenderim te. Confitebor adversus me iniquitatem meam, & vitam emendabo in melius.

Actus Charitatis.

AMo te, o incomprehensa Bonitas, &c. pag. 242.

Pre-

Preces jaculatoriæ infirmi.

O JESU, in te credo: in te ſpero: te amo ex toto corde meo.

O JEſu, doleo de omnibus & ſingulis peccatis meis, quod te illis ſummum bonum meum offenderim.

O JEſu, meus es tu, & ego tuus ſum in æternum.

JEſu fili David, miſerere mei.

JEſu in ſacratiſſima vulnera tua commendo corpus & animam meam.

Deus propitius eſto mihi peccatori.

O JEſu, fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.

O miſericordiſſime JEſu, ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Adoro te, Domine JEſu Chriſte, & benedico tibi, quia per crucem tuam redemiſti mundum.

Mater Dei memento mei.

Refrigeria ægri ex verbis Sacræ Scripturæ.

OMne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui veniet ad me, non ejiciam foras. *Joan.* 6.

Ego ſum Reſurrectio & Vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet. Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. *Joan.* 11.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus, qui juſtificat, quis eſt, qui condemnet? Chriſtus JEſus, qui mortuus eſt, imo, qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Rom.* 8. *v.* 31.

Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Apoc.* 1. *v.* 10.

Nam etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. *Pſal.* 22. *v.* 4.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adjutor meus, & ſperabo in eum. *Pſal.* 17. *v.* 1.

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? *Pſal.* 41. *v.* 1.

Reſignatio in voluntatem Dei.

O Amor ineffabilis, o dulciſſime JESU, Deus meus, ſi mihi dares optionem, & promitteres, quæcunque peterem, te datu-

turum, non aliud peterem, quam hoc ipſum, quod patior. Hoc millies peto, ut laudabiliſſima voluntas tua, ſecundum optimum beneplacitum tuum in me, de me, per me, & in omnibus ſemper fiat.

Aſpirationes piæ ad Sanctos.

SAncti Angeli Dei, & tu imprimis mi Angele Cuſtos, impetrate mihi per Mariam a JEſu, ut JEſum meum ſic amem, quemadmodum vos eum amatis, ex toto corde, ſuper omnia. Angelicæ tutelæ veſtræ commendo corpus & animam, & nunc & in hora mortis meæ, Amen. Sancti Patriarchæ, impetrate mihi per Mariam a JEſu, ut neminem timeam, niſi JEſum; nihil ſperem, niſi JEſum. Paternæ pietati veſtræ commendo, &c. SS. Prophetæ impetrate mihi per Mariam a JEſu, ut firma fide credam, quæ Deus revelavit. Providentiæ veſtræ commendo, &c. SS. Apoſtoli impetrate mihi per Mariam a JEſu, ut pro honore JEſu facere & ferre omnia velim. In thaumaturgas manus, &c. SS. Martyres, impetrate mihi per Mariam a JEſu, ut pro JEſu pati & mori ſit unica mea voluptas. In victorioſas manus, &c. SS. Confeſſores impetrate mihi per Mariam a JEſu veram pœnitentiam de peccatis meis. Fideliſſimo cordi veſtro commendo, &c. SS. Virgines, impetrate mihi

per

per Mariam a JEſu, ut cor meum ſit immaculatum in omnibus juſtificationibus Domini. Caſtiſſimo pectori veſtro commendo, &c. Omnes Sancti & Sanctæ Dei, & tu præ omnibus S. Mater mea Maria, impetra te mihi a JEſu, ut Deum beate vobiscum videam in omnem æternitatem. Materno cordi tuo, &c.

Amor Deiparæ.

VEneror te, o potentiſſima cœli & terræ Regina! ago tibi gratias, o ſumma benefactrix mea: in te confido, o fidiſſima Patrona mea: amo te tenerrime, o dilectiſſima Mater mea. Gaudeo, quod ea ſis, quæ es, Primogenita Filia Patris, Mater Filii, Sponſa Spiritus ſancti: ex intimis medullis cordis mei faveo tibi omnes prærogativas tuas, & plus tibi illas faveo, quam mihi ipſi: tum, quia certus ſum, me nunquam iis tam bene uſurum fuiſſe, quam tu uſa es: tum etiam, quia hunc amorem tuum, tua erga me dilectione & beneficentia jam millies & millies promerita es. Omnia tua ſi forent mea, tibi libens & ultro concederem. Si eſſe poſſem, quæ tu es, id tamen eſſe nollem, ut tu maneas, quæ es MARIA. Ita amo te, o MARIA: ita diligo te, o Mater: ita te amplector, o mea, tu ego. Tu mihi es plus, quam ego tu; omnia mihi es poſt JESUM

ſu-

ſuperbenedictum Filium tuum, Patrona, Magiſtra mea, Mater mea, dilecta mea, theſaurus meus, refugium meum, ſolatium meum, ſpes mea, vita mea. Quid amplius? Mea tu es MARIA. Totus ego ſum tuus, & tu tota mea es, idque in æternum & ultra.

Deſiderium patiendi pro Chriſto.

JESU, Deus cordis mei, tu ſcis cor meum, tu ſcis quia amo te: tu teſtis mihi es, quod hæc ſit maxima mea conſolatio, hoc unicum gaudium cordis mei, quod pati mihi liceat pro te, ſicut tu paſſus es pro me. Utinam mi JEſu, omnes artus & membra corporis mei per dolores & cruciatus vel in unicam guttulam divino guſtui tuo placentem eliquarentur? Ah mi JEſu, hic ure, hic ſeca, modo ut æternum parcas! O quam modicum eſt omne id, quod patior pro te, mi JESU! Quam diſſimilis ſum tibi, o DEUS meus, & Rex Paradiſi, qui ex duro ſuſpenſus ligno pendes medius inter latrones! Dolores, mi JEſu, dolores expeto una cum amore tuo & nihil amplius. Pati, mi JEſu, pati, pati malo, quam aut angelus aut Archangelus, aut e numero etiam Seraphinorum eſſe. Nonne enim ex amore pati, eſt imitari te, & eſt facere, quod ipſi Angeli non poſſunt; Ergo mi JESU, aut pati, aut mori.

De-

Delitiæ ægri in Chriſto Euchariſtico.

SAlve ſaluberrima ſalus infirmorum: Salve lux pulcherrima in tenebris cæcorum.

Salve deſiderium Patrum antiquorum: Salve te amantium amor amicorum.

Salve candidiſſime panis Angelorum: Salve ſapor optime in corde devotorum.

Manna es & ſimila; guſtus ſuavitatis: Satietas ſuaviſſima, fame fatigatis.

Tu es, quem veraciter deſiderat cor meum: confitebor tenaciter te hominem & Deum.

In mea conſcientia quidquid latet obſcurum, tua de præſentia clarum fiat & purum.

Nil apud me permaneat, quo mihi ſis offenſus: ſed totus in me tranſeat, amoris tui ſenſus.

Cor meum ſenſibiliter, divinitus accende, te inviſibiliter præſentem hic oſtende.

Per cordis mei nebulam, tuos da fulgores: omnem fuga maculam; ejice languores.

Veni, veni Rex optime, veni JEſu chare: in meæ ſinu animæ, gratanter hoſpitare.

Charitas, quæ aureo te transfixit telo; ut nos ab æthereo, viſitares cœlo.

Vulneret te hodie, ut ad me venire digneris, Rex gloriæ, nec me præterire.

Tibi fac hoſpitium, per gratiam dulcoris, ſedem & triclinium, in corde peccatoris.

O Deus amantiſſime, mihi conjungaris: & peccatrici animæ, nequaquam iraſcaris.

O Domine dulciſſime, hoc unum precora te; fac pro tuo nomine, in ea charitate.

Qua in carne fragili, dignatus venire; ad me deſpicabilem digneris introire.

Totus mihi jungere, verus Heliſæus: Cor meum circumplectere, fidelis hoſpes meus.

Quis ſim, ne conſideres: Peccator ſum & reus. Cur Deus homo fieres, memento pie Deus.

In charitate nimia, qua crucem aſcendiſti; cui amabilia membra conjunxiſti.

Amoris tui brachia, ſuper me extende, cum abundanti gratia, quod præſens ſis, oſtende.

Accelera, ingredere: veni feſtinanter: peccatori jungere; rogo te amanter.

En vere totum habeo, quem avide ſitivi: teneo, poſſideo, quem valde concupivi.

Tibi quid retribuam, pro tam claris donis, qui mentem meam vacuam, tam charis imples bonis.

Hymnus Eccleſiæ de V. Sacramento.

LAuda Sion Salvatorem, lauda ducem & paſtorem, in hymnis & canticis.

Quantum potes, tantum aude: quia major omni laude, nec laudare ſufficis.

Laudis thema ſpecialis, panis vivus & vitalis hodie proponitur.

Quem

Quem in ſacræ menſa cœnæ, turbæ fratrum duodenæ, datum non ambigitur.

Sit laus plena, ſit ſonora, ſit jucunda, ſit decora, mentis jubilatio.

Dies enim ſolemnis agitur, in qua menſæ prima recolitur hujus inſtitutio.

In hac menſa novi Regis, novum paſcha novæ legis, phaſe vetus terminat.

Vetuſtatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux iliminat.

Quod in cœna Chriſtus geſſit, faciendum hoc expreſſit, in ſui memoriam.

Docti ſacris inſtitutis panem, vinum in ſalutis, conſecramus hoſtiam.

Dogma datur Chriſtianis, quod in carnem tranſit panis, & vinum in ſanguinem.

Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides, præter rerum ordinem.

Sub diverſis ſpeciebus, ſignis tantum, & non rebus, latent res eximiæ,

Caro cibus, ſanguis potus: manet tamen Chriſtus totus, ſub utraque ſpecie.

A ſumente non conciſus, non confractus, non diviſus, integer accipitur.

Sumit unus, ſumunt mille: quantum iſti, tantum ille: nec ſumptus conſumitur.

Sumunt boni, ſumunt mali: ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus.

Mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis, quam ſit diſpar exitus.

Fra-

Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur.

Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura: qua nec ſtatus, nec ſtatura, ſignati minuitur.

Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum: vere panis filiorum, non mittendus canibus.

In figuris præſignatur, cum Iſaac immolatur: agnus paſchæ deputatur: datur manna Patribus.

Bone Paſtor, panis vere, JEſu noſtri miſerere: tu nos paſce, nos tuere: tu nos bona fac videre, in terra viventium.

Tu, qui cuncta ſcis & vales, qui nos paſcis hic mortales: tuos tibi commenſales, cohæredes & ſodales, fac ſanctorum civium, Amen; Alleluja.

Devotio erga JEſum crucifixum, quotidiano Conſcientiæ examini accommodata.

Oſculare vulnus munus dextræ, & gratias age.

ADoro te Deus meus, & gratias tibi ago medullitus pro omnibus beneficiis, quæ Filii tui ſanctiſſimæ Humanitati, amantiſſimæ ejus Matri, & Sanctis omnibus tam paterne contuliſti. Benedicta ſit Omnipotentia tua, quæ me creavit; Charitas tua, quæ

me redemit ; Divina Providentia tua, quæ omnibus vitæ meæ diebus, etiam hodierno benigniſſime me conſervavit. In gratiarum actionem perfectam, offero tibi laudes militantis & triumphantis Eccleſiæ, merita JEſu Filii tui, Salvatoris mei, ſanguinem ejus infinite pretioſum, quem in Cruce e vulnere manus dextræ effudit, per quam in principio creavit cœlum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt.

Oſculare vulnus manus ſiniſtræ, & pete lumen.

DEUS cordis mei, obſecro te per ſacratiſſimum Sanguinem Filii tui, qui ex vulnere manus ſiniſtræ pro nobis manavit, da mihi gratiam copioſam cognoſcendi & deflendi peccata mea, ut in die judicii, non ad ſiniſtram, ſed ad dextram Judicis per SS. Angelos tuos collocari merear.

Oſculare vulnus pedis ſiniſtri, & conſcientiam diſcute.

HEu mihi, quam longe aberravi a via mandatorum Domini, etſi viam illam cruentis veſtigiis mihi Chriſtus deſignarit! Quam turpiter ac frequenter etiam hodie ſum prolapſus : *Expende, quid deliqueris in verbo, cogitatione, & opere, & omiſſione.* O me miſeram, & mea culpa perditam oviculam.

Sa-

Sacratiſſimus Sanguis e vulnere ſiniſtri pedis ſcaturiens deleat veſtigia pedum meorum, queis aberravi a Deo meo.

Oſculare vulnus pedis dexteri, & contritionem elice.

QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lachrymarum, ut ad pedes Domini cum Magdalena defleam peccata mea? Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Doleo medullitus, quod te offenderim, mi Deus, qui es ille, qui es, ſummum Bonum. Amplector pedes Filii tui, & per vulnus pedis dexteri rogo te æterne Pater, ut mihi dicere digneris, quod olim Magdalenæ dixit Filius tuus: Remittuntur tibi peccata tua.

Oſculare vulnus cordis, & emendationem propone.

UNio cor meum cum vulnerato corde meî JEſu. Cor JEſu ſit caverna maceriæ, in qua habitet anima mea; foramen petræ me ſuſtentantis. Nihil ita deteſtor, nihil ita deinceps fugiam, quam peccatum, quia illud diſplicet Deo meo. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Deus propitius eſto mihi peccatori.

TESTAMENTUM

Christiani hominis indies vesperi legendum.

In Nomine Domini, Amen.

EGo animam meam trado & commendo Deo meo, corpus autem terræ, vermibus & corruptioni. Libens desero omnes hujus vitæ illecebras, quæ nihil sunt, nisi vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Detestor peccata mea, quia displicent Deo infinite bono, quem amo super omnia. Ex amore Dei animitus ignosco omnibus inimicis meis.

Credo in Deum, Unum in essentia, & Trinum in Personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui est Creator, Redemptor, & Sanctificator meus, infinite potens, sapiens, & bonus. Credo firmiter, quidquid credendum sancta Mater Ecclesia proponit.

Spero a Divina Bonitate remissionem peccatorum, gratiam & vitam æternam. Amo Deum ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus meis.

Subjicio me penitus & perfecte omni illi, quidquid de me sanctissima & semper adoranda Dei Voluntas disposuerit. Paratus sum facere & pati, vivere & mori, uti placitum est ante te, mi Deus. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra, Amen, Am. Am.

Commendo corpus & Animam meam patro-

trocinio glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, Matris, & Patronæ meæ dilectiſſimæ, S. Joſephi, S. Angeli mei cuſtodis, & omnium Sanctorum, quos demiſſiſſime obteſtor, ut mihi adeſſe velint nunc, & in hora mortis meæ.

Ultima mea verba erunt JESUS, MARIA, JOSEPH. In horum amplexu vivere & mori volo. Et ſi ſancta hæc Nomina tum lingua non poſſet eloqui, eloquetur illa cor meum. Et ſi uſu rationis in hora mortis deſtituar, jam proteſtor, jam enuntio pro tunc, omni poſſibili ardore, reverentia, & ſubmiſſione, JESUS, MARIA, JOSEPH.

Deus meus, in manus tuas commendo ſpiritum meum.

PROTESTATIONES S. CAROLI BORROMÆI.

Proteſtatio I.

EGo infelix & miſer peccator, proteſtor in præſentia tua, Angele Dei, a divina Majeſtate mihi in cuſtodem aſſignate, & in tua præſentia, mi Pater ſpiritualis: quod velim ac ſummopere deſiderem mori in hac vera & Catholica fide, quam ſancta Eccleſia Mater Romana & Apoſtolica tenet & confitetur, in qua omnes ſancti mortui ſunt, nec ullum momentum ulterius vivere, aut vitam

meam prolongari volo, quam ejus divinæ Majeſtati placuerit.

2. SImiliter proteſtor, o Angele Dei, quod ſub tua protectione & auxilio divinæ gratiæ deſiderem, ac velim ab hoc mundo ſeparari, & mori absque ulla deſperatione, aut dubitatione in fide, propter multitudinem aut magnitudinem peccatorum meorum, quæ me in barathrum deſperationis pertrahere poſſent, certiſſime ſciens, & firmiſſime credens quod minima guttula pretioſiſſimi ſanguinis JEſu Chriſti in arido trunco ſanctæ crucis effuſi, ſufficiens fuiſſet pro redemptione totius generis humani, ſi ita divinæ ejus Majeſtati collibitum fuiſſet.

3. SImiliter proteſtor, quod ſi puſillanimitate ſpiritus tremendum Dei judicium, cui præſentandus ſum, cogitans, aut tentatione diabolica, aut perturbatione rationis (quod Deus avertat) in aliquam deſperationem incurram, aut de fide dubitem, id nunc mente ſana, mihique præſens revoco, irrito, annullo, & pro non facto habeo, eo quod non procedat de animo ſano & deliberato: ſed in omnibus, & per omnia me divinæ pietati & miſericordiæ ſubmitto.

4. PRroteſtor præterea, quod cum divina miſericordia nulli peccatori contrito & confeſſo denegetur, toto corde deſiderem

rem ac rogem, ut dignetur me facere participem ſuæ miſericordiæ, mihique concedere remiſſionem peccatorum meorum, per merita amariſſimæ ſuæ paſſionis, & mortis, & virtutem pretioſiſſimi ſanguinis in duro ligno crucis effuſi, & per merita ſanctiſſimæ Matris ſuæ, & omnium Sanctorum & Electorum.

5. ULterius etiam proteſtor ſuper petitione mea, qua humiliter requiro, ut divina pietas dignetur me recipere in illorum numerum, quos ab æterno in extremo judicii die ſalvandos ordinavit, & inter eos etiam, qui propter ſua demerita & peccata in purgatorio patientur, ne in æternum miſericordia Dei priventur, aut a vita æterna excludantur.

6. MARIA ſanctiſſima, poſt has meas proteſtationes, tibi pro teſtamento animæ meæ hanc meam ultimam voluntatem, & affectionem commendo, & ut te mediatrice, tria mihi viciſſim ex teſtamento Filii tui concedantur, rogo.

Primum eſt, lacrymoſus aſpectus, & doloroſum ſuſpirium, unum ex tantis, & infinitis illis, quæ emiſit ipſe Salvator mundi, cum tres horas vivus in cruce penderet, ut dolores, ſingultus, gemitus, & graviſſima

ſuſpiria, quæ me in hora mortis prement, mitigare ac lenire poſſim.

Deinde, ut tu mater totius gratiæ digneris mihi largiri unum ex doloroſis ſuſpiriis, & lacrymoſis aſpectibus, & gemitibus cordis tui, quos experta es ſtans ſub ſanctiſſima Cruce, aſpiciens chariſſimum tuum Filium, Redemptorem generis humani, qui me recipere dignetur inter illos, qui ejus ſanctiſſimis precibus & meritis, ad minimum in extremo die judicii, remiſſionem peccatorum ſuorum, & ſalutem animæ conſequentur.

Tertium eſt, ut in Angelo Dei mihi ſuccurras, quando cor meum rumpetur, & miſera mea anima a corpore ſeparabitur, & ut tunc benignum ac propitium Judicem inveniat pro ſua Divina charitate, in qua cor ejus totum amore plenum, in cruce pro ſalute mundi diſruptum eſt, & anima ejus diviniſſima a ſanctiſſimo Corpore ejus ſeparata fuit.

Ultimum, quod tibi ſanctiſſimo Angelo meo commendem, eſt, ut ultimam horam vitæ meæ, exitumque animæ meæ protegas atque defendas ab inimico, illud etiam te obſecrans, ut ubi, & quoties neceſſarium fuerit, velis eſſe mihi fidelis teſtis, & protector dictarum mearum proteſtationum,

Amen.

DE-

DEVOTUS AGON MORITURI.

HUmiliavit ſemetipſum Dominus noſter JEſus Chriſtus, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. JEſu crucifixe, miſerere mei. JEſu fili David, miſerere mei. JEſu agne Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere mei. JEſu fili Dei vivi, fili Mariæ, ſalus infirmorum, refugium peccatorum, Deus, Deus cordis mei, miſerere mei in his anguſtiis meis: ne abjicias me, qui credo in te: ne repellas me, qui ſpero in te: ne permittas me ſeparari a te, qui amo te ex toto corde meo, & amare te deſidero in æternum. JEſu in manus tuas, in vulnera manuum & pedum tuorum, in amantiſſimum & ſauciatum cor tuum commendo corpus & animam meam.

JEſu crucifixe, miſerere mei: memento, quæſo, ſuaviſſime Redemptor meus, omnium anguſtiarum & amaritudinum, quas in hora mortis tuæ pro me ſuſtinuiſti: ne permittas, obſecro, ut miſera & peccatrix anima mea a malignis ſpiritibus anguſtietur in diſceſſu ſuo. Tu, mi JEſu, ſis defenſor meus, & introduc me in æternam libertatem filiorum Dei, ut ibidem in pace & gaudio fruar te ſine fine. JEſu, in ſacratiſſima vulnera tua commendo corpus & animam meam. JEſu, in te credo. JEſu, in te ſpero, JE-

ſu, te amo ex toto corde meo. Doleo ex animo, quod unquam offenderim te. JEſu, tibi vivo, JEſu, tibi morior. JEſu, tuus ſum in vita & in morte.

JEſu crucifixe, miſerere mei. Tu, mi JEſu, in extremis doloribus non oblitus es inimicorum tuorum, ſed ſuppliciter pro eis deprecatus es Patrem, dicens: Pater, dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt. Ecce, mi JEſu, nolo eſſe inimicus tuus, ſed amicus potius, & filius eſſe deſidero, idque æternum; deprecare itaque pro me æternum Patrem tuum: nec aſpice multitudinem peccatorum meorum, de quibus ex animo doleo, ſed infinitum theſaurum Paſſionis & Mortis tuæ. Et quemadmodum pœnitenti latroni; ita & nunc mihi dicito: Hodie mecum eris in Paradiſo. JEſu, in ſacratiſſima vulnera tua commendo corpus & animam meam. Sancte Michael, Præpoſite Paradiſi; ſancte Angele Cuſtos; omnes Sancti & Sanctæ Dei, ſuſcipite animam meam, & apud æternum Judicem defendite contra omnes Dæmonum accuſationes.

O JEſu. propitius eſto mihi, & miſerere mei: JEſu, in quem credidi, miſerere mei.

JEſu, in quem ſperavi, miſerere mei.

JEſu, quem dilexi, miſerere mei.

JEſu, ego tuus ſum, tu meus es, o JEſu, æternum.

JE-

JEſu crucifixe, miſerere mei. Tu, mi JEſu, in extremis dixiſti Matri tuæ de me: *Mulier, ecce filius tuus.* Et de Maria mihi: *Ecce Mater tua.* Ita mi JEſu; ipſa eſt Mater mea. In gremio hujus Matris & vivere, & mori deſidero. Tu, mi JEſu pendens e cruce, clamaſti: Sitio. Sitiſti nempe animam meam: & anima mea viciſſim ſitit ad te. Quando ſatiabor de fonte aquæ viventis, & de torrente voluptatis tuæ? Tu, mi JEſu, proteſtatus es: conſummata eſſe omnia, quæ tibi Pater tuus æternus demandavit. Hoc ego proh dolor! de me teſtari nequeo: ſed commendo me meritis tuis, & per hæc ſpero miſericordem Patrem. Tu, mi JEſu, queſtus es in cruce: Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me: per hanc extremam derelictionem, obſecro te, ne derelinquas me; ſed tu ſis conſolatio mea, fortitudo mea, amor meus, gaudium meum in ſæcula ſæculorum. Tu, mi JEſu, commendaſti ſpiritum tuum in manus Patris tui, & ego commendo corpus & animam meam in maternum ſinum Mariæ: in ſacratiſſima vulnera Redemptoris mei! in manus cœleſtis Patris. Mi JEſu amantiſſime! in te credo firmiter; in te ſpero fortiter; te amo & ſtringo dulciter. Maria Mater gratiæ, dulcis parens clementiæ, tu nos ab hoſte protege, & mortis hora ſuſcipe.

JE-

JEſu crucifixe, miſerere mei. Oro te, mi JEſu, per pretioſum illum Sanguinem, quem pro me fudiſti, miſerere mei, & ſit Sanguis tuus balneum ſalutare peccatricis animæ meæ. O JEſu, oro te per acerbiſſimam coronationem tuam, miſerere mei, & redde mihi coronam juſtitiæ. O JEſu, oro te per amariſſimum fel & acetum, quod in extremis guſtaſti, miſerere mei, & ſis ſolatium & refocillatio mea in æternum. O JEſu, oro te, per fœdiſſima ſputa, quibus benedicta tua facies fuit conſpurcata: per ſacratiſſima quinque Vulnera: per omnes plagas & livores corporis tui: per acerbiſſimam & ignominioſiſſimam mortem, quam ex amore mei ſuſtinuiſti; miſerere mei, & concede, ut hæc mors tua, ſit vita mea ſempiterna. O JEſu, in ſanctiſſima Vulnera tua commendo corpus & animam meam. O JEſu, tota fiducia mea: JEſu, tota ratio ſpei meæ: JEſu, unicus amor meus: JEſu, Deus meus, & omnia.

JEſu crucifixe, miſerere mei; rogo te, mi JEſu, per omnia obſequia, quæ tibi a Cherubinis & Seraphinis, & reliquo cœleſtium ſpirituum exercitu exhibentur in cœlis; per firmam illam Patriarcharum fiduciam; per veriſſima prophetarum vaticinia; per igneum Apoſtolorum zelum, per invictam Martyrum conſtantiam; per diuturnam Confeſſo-

rum

rum pœnitentiam; per immaculatam Virginum puritatem; per merita omnium Sanctorum; per dilectiſſimam Matrem tuam, quam ut tu, ita & ego præ omnibus diligo. O JEſu, Deus cordis mei, rogo te per Spiritum Sanctum; per æternum Patrem; per temetipſum, miſerere mei in hac extrema anguſtia mea: defende me contra omnes inſidias & tentationes inimici: eſto mihi clemens & miſericors Judex poſt exitum vitæ meæ: & fac, ut audire merear deſideratam vocem illam: Veni Benedicte, & poſſide Regnum Patris tui. O JEſu, in ſacratiſſima tua Vulnera commendo corpus, & animam meam.

O JEſu, eſto mihi JEſus in vita & in morte.

O JEſu, in fide tua vivere & mori cupio.

O JEſu, etiamſi occideris me, in te tamen ſperabo. O JEſu, etiamſi affligens me non parcas, te tamen amabo.

S. Joſeph, ora pro me. S. Maria Mater Dei, ora pro me. JEſu crucifixe, miſerere mei. In brachiis S. Joſephi moriar: in gremio Matris Mariæ dormiam & requieſcam: in vulneribus JEſu abſcondar, & habitabo æternum. JESUS, MARIA, JOSEPH.

COM-

COMMENDATIO ANIMÆ.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Sancta Maria, ora pro eo.
Omnes ſancti Angeli & Archangeli, orate pro eo.
Sancte Abel, ora.
Omnis Chorus Juſtorum, ora.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptiſta, ora.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro eo.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro eo.
Omnes Sancti Diſcipuli Domini, orate.
Omnes Sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes Sancti Martyres, orate.
Sancte Sylveſter, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores, orate pro eo.
Sancte Benedicte, ora.

San-

Sancte Franciſce, ora.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ, orate pro eo.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Lucia, ora.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ, orate pro eo.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro eo.
Propitius eſto, Libera eum Domine.
Propitius eſto, Libera.
Ab ira tua, Libera.
A periculo mortis, Libera.
A mala morte, Libera.
A pœnis inferni, Libera.
A poteſtate diaboli, Libera.
Per Nativitatem tuam, Libera.
Per Crucem & Paſſionem tuam, Libera.
Per mortem & ſepulturam tuam, Libera.
Per glorioſam Reſurrectionem tuam, Libera eum Domine.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam, Libera eum Domine.
Per gratiam Spiritus Sancti Paracleti, Libera eum Domine.
In die Judicii, Libera eum Domine.
Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Ut ei parcas, Te rogamus, audi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

De-

Deinde, cum in agone ſui exitus anima anxiatur, dicantur ſequentes Orationes.

Oremus.

PRoficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo in nomine Dei Patris Omnipotentis, qui te creavit: In nomine JEſu Chriſti Filii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt: In nomine Spiritus ſancti, qui in te effuſus eſt: In nomine Angelorum & Archangelorum: In nomine Thronorum & Dominationum: In nomine Principatuum & Poteſtatum: In nomine Cherubim & Seraphim: in nomine Patriarcharum & Prophetarum: In nomine ſanctorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum: In nomine ſanctorum Martyrum & Confeſſorum: In nomine ſanctorum Monachorum & Eremitarum: In nomine ſanctarum Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, hodie ſit in pace locus tuus, & habitatio tua in ſancta Sion. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus miſericors, Deus clemens, Deus, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas: reſpice propitius ſuper hunc famulum

lum tuum N. & remiſſionem peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piiſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel diabolica fraude violatum eſt: & unitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte. Miſerere Domine gemituum, miſerere lachrymarum ejus: & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

COmmendo te omnipotenti Deo, chariſſime frater; & ei, cujus es creatura, committo: ut cum humanitatis debitum morte interveniente perſolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore ſplendidus Angelorum cœtus occurrat: judex Apoſtolorum tibi ſenatus adveniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confeſſorum turma circumdet: jubilantium te Virginum Chorus excipiat: & Beatæ quietis in ſinu Patriarcharum te complexus adſtringat: mitis atque feſtivus Chriſti JEſu tibi aſpectus appareat, qui te inter aſſiſtentes ſibi jugiter intereſſe decernat. Ignores omne, quod horret in tenebris, quod ſtridet in flammis, quod cru-

ciat in tormentis. Cedat tibi deterrimus ſatanas cum ſatellitibus ſuis, in adventu tuo, te comitantibus Angelis, contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores a facie Dei: & juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei. Confundantur igitur & erubeſcant omnes Tartareæ legiones, & miniſtri ſatanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt. Liberet te ab æterna morte Chriſtus, qui pro te mori dignatus eſt. Conſtituat te Chriſtus Filius Dei vivi intra Paradiſi ſui ſemper amœna virentia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnoſcat. Ille ab omnibus peccatis tuis te abſolvat; atque ad dextram ſuam in electorum ſuorum te ſorte conſtituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præſens ſemper aſſiſtens, manifeſtiſſimam beatis oculis aſpicias veritatem. Conſtitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiaris in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

SUſcipe Domine ſervum tuum in locum ſperandæ ſibi ſalvationis a miſericordia tua. ℟. Amen.

Li-

Libera Domine animam ſervi tui ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui ſicut liberaſti Enoch & Eliam de communi morte mundi. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Noe de diluvio. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui ſicut liberaſti Abraham de Ur Chaldæorum. ℟. Am.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Job de paſſionibus ſuis. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Iſaac de Hoſtia, & de manu Patris ſui Abrahæ. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Loth de Sodomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Moyſen de manu Pharaonis Regis Ægyptiorum. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Danielem de lacu leonum. ℟. Am.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu Regis iniqui. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti Suſannam de falſo crimine. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut li-

berasti David de manu Regis Saul, & de manu Goliæ. ℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberasti Petrum & Paulum de carceribus. ℟. A.

Et sicut beatissimam Theclam Virginem & Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam hujus servi tui, & tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. ℟. Amen.

Oremus.

COmmendamus tibi Domine, animam famuli tui N. precamurque te Domine JEsu Christe Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non a diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo & vero: quia non est alius Deus præter te, & non est secundum opera tua. Lætifica Domine animam ejus in conspectu tuo, & ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, & ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem: & Filium, & Spiritum sanctum non negavit; sed credidit, & zelum Dei in se habuit; & Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Oremus.

DElicta juventutis & ignorantias ejus, quæsumus, ne memineris Domine: sed secundum

dum magnam miſericordiam tuam memor eſto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collætentur illi Angeli. In Regnum tuum Domine ſervum tuum ſuſcipe. Suſcipiat eum S. Michael Archangelus Dei, qui militiæ cœleſtis meruit principatum. Veniant illi obviam SS. Angeli Dei, & perducant eum in civitatem cœleſtem Jeruſalem. Suſcipiat eum B. Petrus Apoſtolus, cui a Deo claves Regni cœleſtis traditæ ſunt. Adjuvet eum S. Paulus Apoſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electionis. Intercedat pro eo S. Joannes electus Dei Apoſtolus, cui revelata ſunt ſecreta cœleſtia. Orent pro eo omnes SS. Apoſtoli, quibus a Domino data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti & electi Dei, qui pro Chriſti nomine tormenta in hoc ſæculo ſuſtinuerunt: ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad gloriam regni cœleſtis: præſtante Domino noſtro JEſu Chriſto: Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi Pſalmi, videlicet: Confitemini Domino, *& totus Pſalmus.* Beati immaculati.

Egreſſa autem anima dicitur hoc. ℟. Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: * Suſcipientes animam ejus: * Offerentes eam in conſpectu Altiſſimi. ℣. Suſcipiat te Chriſtus, qui vocavit te, & in ſinum Abra-

hæ Angeli deducant te. Suſcipientes. ℣. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Offerentes.

Deinde Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Requiem æternam dona ei Domine.
℟. Et lux perpetua luceat ei.
℣. A porta Inferi. ℟. Erue Domine animam ejus. ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum &c.

Oremus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui N. ut defunctus ſæculo tibi vivat: & quæ per fragilitatem humanæ converſationis peccata commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

DIes iræ, dies illa
ſolvet ſæclum in favilla,
Teſte David cum Sibylla.
Quantus tremor eſt futurus,
Quando Judex eſt venturus,
Cuncta ſtricte diſcuſſurus!

Tu-

Tuba mirum ſpargens ſonum,
Per ſepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors ſtupebit; & natura,
Cum reſurget Creatura,
Judicanti reſponſura.
Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo cum ſedebit:
Quidquid latet, apparebit:
Nil inultum remanebit.
Quid ſum miſer tunc dicturus?
Quem Patronum rogaturus?
Cum vix juſtus ſit ſecurus.
Rex tremendæ Majeſtatis,
Qui ſalvando ſalvas gratis,
Salva me fons pietatis.
Recordare Jesu pie,
Quod ſum cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me, ſediſti laſſus:
Redemiſti crucem paſſus:
Tantus labor non ſit caſſus,
Juſte Judex ultionis
Donum fac remiſſionis,
Ante diem rationis.
Ingemiſco, tanquam reus:
Culpa rubet vultus meus:
Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ:
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præsta,
Et ab hædis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum Benedictis.
Oro supplex & acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.
Lacrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla,
Judicandus homo reus.
Huic ergo parce Deus,
Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem, Amen.

FINIS.

